EXPLICATIO

Verborum Salomonis:

In Herbis, Verbis & Lapidibus Magna est Virtus.

Unà cum

Adjuncta Tractatiuncula

De

Quinta Essentia Metallorum

In Gratiam Eorum

Qui

Tenentur Studio Divinorum atquè Naturalium Miraculorum

Conscripta atque Hîc oculis subjecta

À

JOH. RUDOLPHO GLAUBERO.



AMSTERDAMI,
Prostant apud JOANNEM JANSSONIUM.
CIƆ IƆC LXIV.


0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10

PRÆFATIO

Ad

BENEVOLUM LECTOREM.

QUod Naturæ cognitio perducat ad Dei cognitionem, & cognitio Dei sit homini unica atque tutissima via perveniendi ad animæ suæ salutem, nemo prudentis mentis inficiari poterit. Quum igitur Cognitio Naturæ sit res tam præclara, ut per eandem homo hîc ad temporariam, & illic ad æternam prosperitatem provehi queat, quotusquisque adeò obbrutesceret, ut magnam Dei Omnipotentiam atque miracula, illius beneficio, perscrutari, ardenter investigare atque adamare nollet? Enimvero Natura est Dei dextra; quicquid illa nobis ostendit præscribitque, est quasi à Deo ipso præscriptum, pollens energia, existens atque permanens in perenni stabilitate; eidemque nemo contradicere potest perinde ut aliis scriptis hominum erroribus imbutorum. Quod Natura nobis monstrat atque imperat, observare præcepta Dei, proximumque beneficio complecti, eadem cunctis hominibus, magnis pariter ac parvis, si modò in-

tellectu humano ſapienter uti affectant, dilucidè & perſpicuè oculis ſubjicit. Quoniam igitur Deus & mihi tanquam ſervo ſuo indigno magnum quidem Talentum fænori ex mera gratiâ locavit; propria tamen virtute ego nullus auſus fuiſſem de illo quicquam ſcribere, niſi me ſingularis impulſus divinus eò pertraxiſſet. Deo autem ita volente, ego nullatenus refragari, neque inobſequentem me præſtare, neque acceptum meum Talentum inhumare volui. Etenim ſi Deo inviſum fuiſſet, Miracula ſua manifeſtò pervulgari; ipſe ſanè illa penitus in profundo arcanorum ſuorum abſtrudere potuiſſet. Quum verò illa uni alterive revelârit, idque procul dubio, ut in nominis ſui ſanctiſſimi gloriam toti Mundo innoteſcerent, ille qui eadem ſibi concredita humo mandaret, ſe nequaquam excuſâre poſſet, ſed potius à magno patrefamilias, ſiquando ille cenſum ſibi debitum de ſua nobis à ſe commodata Mina aliquando repoſciturus eſſet, ſimiliter illi ſervo infido (qui, memorante Chriſto, Talentum ſuum fænori non expoſuerat, ſed in terrâ defoderat) hæc turpis exprobratio in aures ipſius inculcaretur: Serve nequam, an ego meum tibi Talentum conceſſi inhumandum? Tu ex illo

illo aliud Talentum lucrari tenebaris similiter conservo tuo, qui ex acceptis suis 5. Talentis Talenta 5. alia lucratus est &c. *Ut igitur hoc præcaveatur, necessarium esse duxi, ut Miracula Dei ne subticeam, sed potius patefaciam; quippe qui sæpenumerò expertus sum, quod mihi Deus, siquando Mundo quicquam de Talento meo communicavi, subinde alia plura atque majora Secreta continenter revelavit atque ita quasi spectandum dedit, me egisse benè: quemadmodum & apud Magnates, ut Imperatores, Reges aut Principes usu venire solenne est. Illi namque suos Ministros, videlicet prudentes Consiliarios, insignes Medicos vel fortes Militiæ præfectos, qui fidam ipsis operam præbuerunt & bonum provinciarum publicum procurârunt, amplis præmiis remunerare, ipsorumque pectora suis effigiebus numismati insculptis condecorare consueverunt, ut his gratiæ documentis ac donativis suos sibi ministros ulterius obstringant ad continuandam in functionibus officiorum ipsis commissorum fidem: Ministri autem isti (quibus tanta gratia offertur & Numismata istiusmodi honoraria ad pectus appenduntur) non immeritò illa in honorem*

Dominorum ſuorum coram honeſtis ſodalibus oſtentant: unde non modò Domini, qui Numiſma gratiæ elargitus eſt, prudentiſsimum judicium atque officiorum probè obitorum agnitio, verum etiam opera ipſius Miniſtri ſtrenuè navata non ſine tacita commendatione elucet. Quodſi Miniſter tantis Domini ſui præmiis largè donatus in fide adminiſtrationis non permaneret, nonne ille actutum ingratiſsimus æque ac iniquiſsimus putaretur? Quum itaque & mihi indigno Deus Opt. Max. ceu Rex Regum pro mea opera, non quidem magna, at fida, luculentum Benevolentiæ Honorificentiæque nummum donârit, iniquiſsimè ſanè agerem, ſiquando illum occulerem & neutiquam ſuper pectus in Datoris ſummi honorem coram omnibus omnium ordinum hominibus geſtarem. Unde non modò gratioſa atque munifica Dei in ſuos Miniſtros fidos manus, ſed etiam candida Miniſtrorum obſequia pateſcunt. Nullus enimverò Rex aut Princeps eſt facilè cuiquam Nummum gratiæ tributurus, niſi ab eo aliquot officia laboris grata ac rata præceperit. Quocirca ſi κεχαριτωμένος *ille ſeu acceptor talem Nummum honorarium eſſet velinhumaturus vel omninò fracturus, in Dominum certè ſuum inſigni-*

insigniter contumeliosus foret: sin autem Donativum illud in spectabili sodalium honestorum corona super pectus tulerit, Donatorem eo honorabit atque nemini non ansam sermocinandi dabit: Quam gratiosè agit iste Dominus! Quam munificè suis ipse Ministris officia compensat præstita! Quotusquisque Domino opera sibi datæ adeò memori inservire recusaret?

Ita quoq; plerumq; evenit, ut (siquandò Deus in unum alterumve præmultis aliis in revelatione Arcanorum Naturæ singulariter gratiam quandam magnam confert atque iste illam gratiam divinam participatam toti Mundi reddit notoriam) cognoscendam ille det Dei omnipotentiam, misericordiam, opem, munificamque ejus in genus humanum dextram, atque hac viâ Deum colat tanquam datorem scaturiginemque omnis boni: sin minus, Deum contumeliâ afficit, serium ipsius mandatum despiciens, miranda ejus opera pedibus proterens, adeoque ei reponens pro grandibus beneficiis turpissimum illud ingrati animi vitium, quod & Deo & cuivis honesto est tantæ abominationi, ut minime gentium dimittatur impunitum. Quicunque verò Mundo occæcato Magnalia

Dei proponit pernoſcenda, Deum gloriâ afficit, homineſque in variam divinorum naturalium que Miraculorum notitiam deducit; id quod neutiquam divinâ deſtituetur remuneratione. Hoc ipſo ego potiſſimum adducor ac permoveor, ut mea à Deo mihi conceſſa Quinque gravia Talenta, nimirum Quintam Eſſentiam Metalloram *ſeu* Verum Mercurium Philoſophorum, *ceu præſtabiliſſimum quidem, at terrenũ tamen gratiæ divinæ Nummum humo mandare nolim, ſed in gloriam Dei veluti largitoris omnium bonorũ propalam, idque vel indignante Diabolo cum ſuis complicibus, in oculis omnium procul ulla reformidatione ad pectus meum geſtare malim. Ringatur jam, quantumcunque poteſt, Satanas cum ſuis ſatellitibus, obmurmuret, obſtrepat, vituperet, maledicat, furat & obſæviat; veritatem tamen nullus obliterabit, ſed potius ſe eidem victrici triumphandum ignominiosè dabit. Quippe ego nihil aliud niſi veritatem ſcribo, atque idcirco illam tanto facilius defenſare potero. Antequam verò* Quintam Eſſentiam Metallorum *ſeu* Verum Mercurium Philoſophorum *deſcriptum abeo, à me hæc Salomonis verba explanabuntur:* In Herbis, Verbis

bis & Lapidibus Magna est Virtus. *Quorum explanatio quamvis genere dicendi elegantissimo non proferatur, neque sitientes cujusvis literati aures permulcere valeat, non multum interest. Neminis enim studium omnibus omnium ingeniorum votis respondere unquam potest. Quapropter optimum quodque sibi quisque inde excerpat & reliqua reprehendere supersedeat.*

EXPLICATIO VERBORVM

Salomonis :

In Herbis, Verbis & Lapidibus Magna eſt Virtus.



Tque ut primum de Herbis ediſſeramus, Magnas in Herbis reconditas eſſe vires (ſi modò nos illas bene præparare ægro.antibuſq; ritè applicare ſciremus) non modo innumeri libri præclari, ſed quotidiana etiam experientia pro vero aſſeveratum ſatis ſuperque divulgat, ita ut prolixiore illius probatione non opus ſit. Quapropter minimè neceſſarium arbitror huic rei diutius immorari, ſed benevolum Lectorem ad multiplicia veterum necnon recentiorum Medicorum ſcripta remiſſum malo, ut inde gratiſſima quæque ſibi conquirat. Quippe præter hoc, quomodo Vires Herbarum, longè lateque diffuſæ, ſint per meam recens inventam Fermentationem Secretam atque concentrationem ſublimandæ ac in multò nobiliorem conditionem eſſentiamque transferéndæ, Quinta Pharmacopœjæ meæ Spagyricæ Pars paucis commemorat, Sexta autem Pars fuſius pertractat.

Contem-

Contemplemur jam, quantas Vires occultas Verba contineant, qualiterque non naturali tantum, sed supernaturali etiam modo res incomprehensibiles efficere valeant.

ENimverò Verborum vis & effectus non in lapides insensibiles & bruta animalia, sed duntaxat in homines rationis participes eorumque cerebrum opes suas exercet ac manifestè prodit. Quia satis constat, quod homo lætitiis omnibus incedens vel uno nuncio ingrato intra minimum temporis momentum adeò perterrefieri & consternari potest, ut præ occlusis spiritibus corporis vitalibus subitò eum concidere seminecem contuearis. E diverso homo quoque tristis atque mortiferè ægrotans uno nuncio læto ita refocillari potest, ut dolorem, animi ægritudinem atq; acerbitatem omninò omnem oblivione conterat & quasi à mortis limine in vitæ lumen revocetur. Subitaneam autem istiusmodi immutationem non nuda verba inducunt, sed fides illorum, qui verbis compellantur, prout illis fides vel adhibetur, vel detrahitur, nec non prout fides est effectu comitata. *Exempli gratiâ.* Commisso homicidio vel in agro, vel in diversorio vel in convivio vel in quocunque conventu alio, reus non longas ibi agitabit moras, sed quantum poterit, se illinc in fugam conjiciet: contra insons criminæ neminem metuit, neque loco cedit, sed solo conscientiæ bonæ præsidio fretus tutissimè propugnatur. Profugum autem conscientia continenter premit & perpetua inquiete affligit, quotquot etiam annis ipsum

ipſum divina ultio inultum relinquat. *Aliud Exemplum.* In ædibus quibuſdam famulus infidus aut ancilla quippiam ſuffurantur, nemo tamen ſe furti inſimulare vult. Ut igitur in deprehendendum criminis reum inquiratur, ſolemus domeſticis cunctis graviter minari, nos ſive hac ſive alia rigoris viâ in quemcunq; furti commiſſi convictum eſſe animadverſuros, niſi res reſtituatur ablata. Ibi culpâ vacans nihil extimeſcit, furti autem reo cor trepidat atque palpitat, quippe quoniam vi verborum tactum & transadactum eſt.

Conſimiliter vir magnæ ſtaturæ armatus minas pueruli nudi nihil expaveſcit, utpote qui virium ſuarum gnarus ſit. Puſio autem meritò robuſtum illum metuit ac fugit, cum ipſi reſiſtere nequeat.

Neque etiam potentum quiſpiam formidat audaces impudentis cujuſdam mendicabuli minas; *Se venturum eſſe ablatum cibos de menſa & pecuniam ſubſtantiamque omnem ex arca*; cum Sat ſciat, mendicum temerè effutiiſſe,quod effectum dare nequeat, utpote qui; ſi adveniret, non tam nummis quàm plagis onuſtus, inde abiret.

Pauperi quoque ægrotanti nequaquam allevamento eſſe poteſt promiſſum alterius cujuſdam ægrotantis auxilium, cum huic exploratum ſit, iſtum opitulari non poſſe, etiamſi flagrantiſſime cupiat.Movent itaque neq;conſolantia neque comminantia cujuſquam verba, ſi auditor nullam illis habet fidem. Ergò Verborum efficacia non conſiſtit in nudis dictis, ſed potius in fide, quæ dictis adjungitur. Adde quod neque Conſolatio-

nis

nis neque Comminationis verba cuiquam vel adjumento vel nocumento esse possunt, si in tali lingua ignota proferuntur, qualem compellatus non intelligit. Multo minus vel sollicitant vel exhilarant quenquam Verba comminantium consolantiumque, si omnimodè non exaudiuntur, neque in pectus demittuntur.

Abraham promissioni Dei credebat: si verò non credidisset, Verbum Dei nihil ei profuisset.

Angeli Gabrielis verbis Maria mater Christi credebat, & ei fiebat, prout credebat.

Centurio Capernaiticus credebat quod Christus ipsi dicebat. Quod si de eo dubitâsset, filius ipsius non convaluisset.

Mulier Chananæa verbis Christi credebat, & filia ejus ad salutem reducebatur.

Paralyticus suâ ipsius valida in Christum fide ex morbo sanus fiebat.

Erat infirmâ Petrus fide præditus, quando in mare demergebatur, sed Christi verba ipsum inde retraxerunt.

Petri navicula tantum non submersa efficacibus Christi verbis servabatur, quibus ventis procellosis imperabatur.

Decem quoque leprosi verbis Christi credentes consanescunt.

Jesus benedicit VII. panibus paucisque pisciculis, quibus saturat 4000. homines, adeò ut fragmentis quæ superfuerant, VII. cophini compleantur. Quæ sanè fuerunt Verba maximæ efficaciæ. Jesus V. panibus hordeaceis duobusque

busque piscibus cibat quasi 5000. homines, ita ut XII. cophini collectis repleantur micis, quæ superfuerant. Iesus verbo suo divino Canæ in Galilæa aquam in vinum convertit. Quid quæris? Christus, quotiescunque hominem forti fide instructum & munitum sanavit, his verbis eum convenit: *Surge, fiat Tibi, ut credidisti, Fides tua te conservavit &c.* Maxima itaque verborum virtus atque effectus consistit in auditu & Fide. Quod ipsum luculenter descriptu perdifficile esse, vel doctissimus quisque non diffitebitur. Quapropter mihi placuit per aliquot Historias magnam illam Verborum Fideique Operationem supernaturalem publicè no ificare: id quod mihi aliâ viâ fuit factu impossibile.

Sequuntur aliquot Historiæ fide dignæ, quomodo per bonam necnon malam fidem res supernaturales effici ac parari possint.

HISTORIA I.

De quadam anu cæca, quæ per suam Fidem validam visum recuperat, è contrario autem quomodo non nemo infidelis ex vidente cæcus fiat.

Contigit abhinc LX. plus minus annis, ut in Germania ex quodam monte nova fontis scaturigo eruperit, cujus aqua aquis cæteris vulgaribus sapore præstabat. Illicò rumor pervadit ac increbrescit, memoratam aquam pollere vi sanandi atque depellendi graves morbos multos, usqueadeò ut per totam provinciam in nulla non æde de ea præ-

prædicaretur. Quæ inaudita vetulæ cuidam cæcæ fidem pariunt tam fortem, ſibi medicaturam eſſe iſtam aquam, ſi de ea combiberet. Mercede igitur conducit hominem, qui eò commearet allatum lagenam laudata Aqua Sanationis repletam. Mercenarius autem, qui erat nequam, non niſi in proximum pagum abit, ubi totum diem potando pecuniam ab anu ex pacto acceptam abſumit. Mox ille lagenam aquâ ex rivo vulgatâ impletam afferre vetulæ. Illa non ſecus rata quàm ſibi aquas ex ipſo ſalutis fonte eſſe allatas, bibim, oculiſque non ſelem lotis fit videns, atque Deo gratias agit, ſic ſatis contenta. Interea impoſtorrem in ludibria verſurus, inquit: Nonne deſipiunt homines, qui per tot milliaria ad aquas currunt, cũ tamen capiam illarum præ foribus habeant? Ego quippe vetulæ lagenam ſaltem ex hac communi puteo complevi; ea nihilominus tamen ſanata eſt. Quo divulgato & ad aures anus quoque perlato, ſe non de aqua ſalutis vera bibiſſe, illa ita conſternatur, ut fidem pariter atque viſum amittat & viciſſim cæca fiat. Quemadmodum & ille, qui aquam tulerat, narratur evaſiſſe cæcus, atque curâſſe ſe perducendum ad germanum fontem, ut inde viſum reciperet, ſed fruſtra. Ita fons iſte nemini deinceps ſaluti fuit, cum nemo ei amplius fidem adhibuerit. Ex hac Hiſtoria perſpicias, quod fides tantummodò ſalutem ferat, aqua non item. Equidem hæc Hiſtoria videtur potius eſſe Fabula quam Hiſtoria; veruntamen ita ut enarratum, res geſta eſt; veluti conſimiles Hiſtoriæ ſupernaturales plures ſubſequentur. Quibus qui fidem adhibere

nolue-

noluerit, deroget. Ejuſcemodi namque Hiſtoriæ duntaxat eum in finem huc tranſcribuntur, ut animadvertatur, per fidem fortem vel Supernaturalia effici poſſe; *Fidem* autem *originem ſuam* trahere *ex auditu*, auditum verò *ſuam* ex verbis, prout & D. Paulus ait: *Quomodo poſſunt audire, ſi ipſis non prædicatur?* Sequitur igitur primum ex verbis auditus, ex auditu fides & ex fide efficax ſupernaturaliſque operatio.

VERA HISTORIA II.

De quadam Virgine vitiata, quam ob infantem ſuum aquis ſubmerſum judicialis ſententia morti damnavit, fides vero ſua fortis ita protexit, ut in aqua profunda enecari nequiverit.

ACcidit in quadam celebri Principis cujuſdam Germanici Metropoli, ut ſimplex quædam è ſeducente quodam gravida fœtum editum in profluentem abjiceret; cujus ergò ea in carcerem conjecta & ad quæſtionem judicii abrepta eſt: ubi de confitente Crimen ſententia fertur, ut in aquas demerſa interimatur. Imminente jam ultimi ſupplicii horâ, ſacerdotum aliquis ad eam admittitur exhortandam ad reſipiſcendum atque pœnitendum. ubi illa ſe miſerabiliſſimam præbere. Sacerdos autem eam his verbis conſolabatur; Ipſam (ſi ex corde de peccato ſuo doleret & in Chriſti meritum fortiter crederet) non eſſe morituram, ſed in æternum victuram. Mox illa ad locum ſupplicii ea tempeſtate exſequendi in quodam ponte lapideo ſuper ſubterluente

luente flumine profundo ad quandam ſellam eamque quaſi quodam gerano ſeu tympano truſatili dependentem. Poſteaquam miſeræ huic manus poſt terga veſteſque circum crura ligatæ, peſſuluſque ori immiſſus fuerat, ipſa à carnifice ſedili impoſita,gerano trans pontem uſq;detorquetur ſuper rapidum flumen. Quum itaque ſacerdotalis præſentia ipſam ſat firmâſſet ad conſtantiam fidei in Chriſti meritũ, illicò carnifex obicem, quo pes ſellæ ſuffulciebatur, exemit. Ubi illa mox ex alto in flumen profundum delapſa continenter ſacerdotis ſolatium intra præcordia ruminabat, ſe non eſſe intermorituram, ſed in æternum victuram. Ita illa manibus pedibuſque revinctis atque ore aperto fluctüans, non peſſum abit, ſed in litus è flumine forti exigitur.Quod Carnificis miniſtri conſpicientes, illam contis prælongis à litore in flumen retrudunt idque ſemel atque iterum. Illa igitur tertiâ jam vice ad litus repulsâ, carnificis famulis à Judicibus præſentibus imperatur, ut ipſa in aqua ne retrudatur, ſed in ſiccum adducatur, ad explorandum rationem,cur illa non ſubſederit. Demto itaque ex ore peſſulo, manibuſque pedibuſque reſolutis,interrogata percontantibus reſpondit;Annon ſibi credendũ fuiſſet, quod ſacerdos ipſi maximè aſſeverâſſet, ſe non eſſe demorituram, ſi firmâ fide Chriſti Meritum complecteretur. Ad quæ ipſa à Judicibus libera pronunciatur, vitâ donatur atque impunis dimittitur. Ex quo cernitur, quantum fides fortis atque dubii expers valeat: Fides autem eſſe non poteſt, niſi verba præcedant & Fi-

dem efficiant. Provenit itaque Fides ex Verbo tanquam ſuâ radice, fructus verò ex Fide tanquam ſuâ arbore.

HISTORIA III.

De quodam ſpectatæ probitatis ſacerdote, Calicem per imprudentiam inter faciendum Miſſæ ſacrum ſubvertente.

ABhinc centum quaſi annis accidit in quodam Franconiæ pago, vulgo dicto *Walthuren*, ut ruſticis ibidem Miſſæ officium ſacerdos celebraret. Qui cum jam eò perveniſſet, ut pani ac vino benedixiſſet, incautus calicem ſubvertit effuditque, adeò ut inde efflictim conſternatus ſit, neſciens, quomodo rem haberet occultam. Mox in panniculo Calicis effuſione imbuto XII. facies parvæ comparuerunt in formam ejus qui hodieque monſtratur & quo Veronica Chriſto crucem ſuam per urbem Jeruſalem ad montem ſupplicii portanti faciem ipſius cruentam abſterſiſſe perhibetur. Unde ſacerdos tantò magis expavefactus eſt, & adſtantes rem ad Magiſtratum deferunt. Hinc pannus iſte pictus ab Epiſcopo & toto Clericorum ordine illius loci exaltatus & in perpetuam recordationem aſſervatus eſt. Qui ſemel ſingulis annis expromitur oculis vulgi contrectandus. Fit igitur ingens ægrotantium concurſus id temporis ad iſtum locum,

cum, inter quos non pauci mancórum ac claudorum, qui eò confluunt, inde recti atque ſani domum redeunt. Ego quidem ipſe ibi nullus præſtò fui talium Miraculorum αὐτόπτης, veruntamen de rei veritate ex multorum graviſſimorum teſtium ore mihi conſtat. Quæ ſane ſanitas ex ſola Fide & Fides ex auditu oritur. Miraculoſa quotannis multa ibi fiunt, quæ conſiſtere non poſſent, ſi qua fraude patrarentur, prout plerique incredulorum ſuſpicantur: illa quippe Miracula non eduntur clam, ſed palam. Neque verò repugnârim, nonnuſquam gentium intervenire multum impoſturarum, ſed laudato loco nihil talium comperitur, ſed exiſtimatur, illum ſacerdotem fuiſſe virum pium, qui verba ſua non ſine fide forti atque devotione grandi ſuper pane ac vino protulerit. Cæteroquin enim ex pane & vino neutiquam Caro & ſanguis facta eſſent, ſed Elementa illa, ſi ſuper illis ab improbo quodam ſacrifico verba inefficacia fuiſſent pronunciata, fortaſſe panis ac vinum remanſiſſent. Nullus dubito, quin omnes ægrè credentes hanc Hiſtoriam pro fabula habituri atque ludibrio excepturi ſint. Atenim tales non niſi ſemetipſos ludos faciunt atque corda ſua obſtinata produnt. Annon Deo omnia ſunt poſſibilia? Nonne ipſe ſupernaturalia Magnalia operatur per ſuos verè credentes? Quum autem Fides ignea in hodierno Chriſtianiſmo maligno maximam partem ſit extincta, quomodo res

ſeſe aliter habere poſſunt? Chriſtus ait expreſsè; Nos montes eſſe tranſlocaturos, ſi modò fidem tantam haberemus, quantum eſt granum ſinapi: ſed ubinam gentium reperias tales Chriſtianos, quales ſuâ Fide duntaxat unum arenæ granum transferre poſſunt? Multi homines nolunt plus credere quam ipſi oculis videre manibuſque tangere poſſunt, ſed hac via XII. Articuli Chriſtianæ Fidei prorſus peſſundantur. Quotuſquiſque poteſt oculis videre manibuſq; tangere, quod S. Virgo Maria Chriſtum de verbo Dei atque obumbratione Sp. Sancti concepit ac peperit; quod ipſe crucifixus, mortuus & ſepultus deſcendit ad inferna, atque tertio die reſurgens ad cœlos adſcendit ſeſſurus ad dextram Dei Patris ſui cæleſtis, dum inde rediturus eſt judicatum vivos mortuoſque &c. Ecquis intellectu poteſt capere, quod Chriſtus in deſerto tam paucis panibus piſcibuſque tot millia hominum ſaturavit atq; ex fragmentis ſuperantibus tot cophinos complevit, prout apud SS. Euangeliſtas Marco & Johanne videre eſt. Ut quid credimus, illud eſſe factum, cum tamen idem non manibus tangere neque oculis ſubjicere poſſimus? Quod ſi nihil aliud credere volumus, quàm quantum ratione noſtra comprehendere poſſumus, nulla omnibus illis operibus fides habenda eſt, quæ & Chriſti viventis tempore & poſt ipſius mortem ab diſcipulis aliiſque Chriſtianis piis edita ſunt. Enimverò taliter diſputaturus facilè pro fabula habebit, quæcunque de Chriſto ſcripta ſunt. Quippe tantum ſaltem quiſque credere cupit, quantum ad guſtum facere & uſui ſibi fore ſentit, cætera credere

credere fastidit. Non quidem diffitemur, fidem esse rem incoactam, usqueadeo ut qui credere nolit, Fidem detrahere possit more Judæorum induratorum, qui Messiæ promissi adventum etiamnum in hodiernum diem usque præstolantur. Quid autem Christus incredulo dixit Thomæ, qui prius credere nolebat quàm manum suam in ipsius latus digitosque suos in vestigia clavorum in manibus pedibusque ipsius immisisset? *Quia vidisti me, Thoma, & tetigisti, credidisti: Beati autem, qui non viderunt & crediderunt.* Maneat igitur Thomas, quicunque vult esse Thomas; tutius autem est adhærere Petro, Paulo aliisque fidelibus quam stare à parte dubitantis Thomæ.

HISTORIA IV.

De falsis Miraculis, quæ per meretriciarum Nonnarum incantationem in quodam cœnobio ope Diaboli procurata sunt.

SAtan aliquando nonnullas ita naturæ suæ consortes in quadam primaria Germaniæ civitate Imperiali in ipsarum Monasterio reddidit, & in tales sagas scraptiasque convertit, quales in crucem ligneam à se excavatam menstruosum suum fornicantium sanguinem tanta arte instillare calluerunt, ut quinque Christi vulnera illo jugiter maduerint ac manârint. Quò pellexerunt concurrentia multa millia hominum avidorum spectandi Miraculum. Hinc manci, cæci variisque morbis affecti homines eò convolârunt, ut mem-

bra sua ægra tali sanguine meretricio ex Christi vulneribus (ut putabatur) promanante inungerent, sperando, se hoc remedio esse sanitatem recuperaturos; quemadmodum & multi inde convaluerunt, atque lupæ illæ callidæ eo magnam pecuniæ vim corraserunt. Re autem accuratè per quosdam ad id perquirendum constitutos sacerdotes explorata, tota impostura fallax deprehenditur: & in maleficii reas animadvertitur. Suboritur jam quæstio, *Utrum hæc sanatio provenerit à Deo, an à Diabolo?* Autorem ea Diabolum habere nequit; quia Cacodæmon caret potentia sanandi homines, quippe qui alioqui fida sua organa, scortatores, honoris prædones, libellorum famosorum autores consimilisque sceleris genimina ad mortem mitti non pateretur, sed ad fidam suæ sibi serviendæ servitutis continuationem in vita longæva conservaret; quod tamen nequaquam fit. Unde elucet, Satanæ deesse potestatem faciendi quicquam ex vi propria, excepto eo, quod ipsi Deus singulariter permittit, veluti conspicias in Jobo, ubi Deus ipsi dedit copiam percutiendi & affligendi hominem ulceribus, ut toti mundo Constantia Patientiæ ejus innotesceret. *Quâ igitur vi, quærat quis, homines consanuerunt respectu hujus Miraculi effascinantis?* Non aliter quàm per suam ipsorum Fidem validè conceptam, dum nihil aliud sibi persuaserunt, quam illud divinum esse Miraculum, quod memorata Crux sanguinem emittat. Pergat quis rogare; *Quomodo per Fidem quicquam boni fieri queat citra opem ac præsidium Dei?* Quod homo, Deo non adjutante nec procurante,

rante, nihil ex propriâ facultate efficere queat, SS. Scriptura multipliciter, commonſtrat. Quippe quando homo in re una aut altera ſibi Fidem validam conceperit in bonum, Deus ipſi fit patronus & adjutor, ut bonum conſummare poſſit. Quod ſi cujus Fides collimat ad malum, Satanas ei fert opem ad illud perficiendum, quatenus ei à Deo permittitur; utpote quo abnuente, ne Satanas quidem ei auxilio eſſe poterit ad Effectum Fidei malæ procurandum. Quid aliàs de Diabolo ſentiendum, quale ipſe ſit Monſtrum pravum ſeu *Malum neceſſarium*, quouſque ſua ipſi Extenſio à Deo conceſſa, ut polleat vi tranſfigurandi ſe in incomprehenſibilem, inviſibilem ſpiritualemque eſſentiam, atque vice verſa ex propria virtute in quamcunque corporalem, palpabilem viſibilemque formam ac ſpeciem hominum, belluarum, avium, vermium &c. ſe concentrandi, huc non ſpectat, ſed de eo (Deo volente) in Sexta Pharmacopœiæ meæ Spagyricæ parte, ubi *de differentia Spirituum* agitur, uberiora aliquot reperias. Quia plerique ſibi imaginantur, Mundum gaviſurum eſſe beata quiete, ſi nulli darentur Diaboli, nulli malitioſi Spiritus, nulli malignæ impietatis homines neu ulla alia noxia animalia deglutientia: quod tamen ita non eſt. Niſi enim duo darentur Contraria, Mundus exiſtere nullus poſſet; quippe quoniam ne minimum quidem ſine duobus Contrariis Entibus progigni poteſt. Enimverò ubi duo Contraria inter

sè colluctantur, semper generatur Tertium. Capiatur *Exemplum* de *Aqua & Igne*. Aqua aquæ ac Ignis Igni additus, non constituunt aliquod Tertium, sed manent tranquilla, cum ejusdem sint naturæ: Sed Ignis & Aqua, (cum naturæ sint contrariæ) si quando coëunt, ingens excitant tonitru, crepitum ac concussionem, atque ex utroque fit unum aliquod *Tertium*, nempe, *Ventus*, prout satis apparet ex pulvere bombardico hic infra; & suprà in aëre ex Igne ac Aqua *Tonitrua* oriri. Lixivium acre acri lixivio affusum manet tranquillum, quemadmodum & acetum aceto infusum; cum similis sint naturæ. Quod si lixivium acetumque confundantur, ingens fit strepitus, flatus & tandem unum Tertium ex utroque veluti pulcherrimum spectatu est, si quando potens aliqua ▽F aut Spiritus Salis cum aliquo Metallo in siccam quandam Massam concentratur, eaque in minuta frustula confringitur ac in liquorem silicum immittitur. Tunc enim Contrarium unum in alterum operatur, & enascuntur in Vitro montes ac valles, parvæ ac magnæ arbores, ita ut spectatori sint admirationi: quemadmodum & ne minimum quidem in mundo procrescere potest sine duobus Contrariis. Etenim quum semen aliquod in terram satum est, germinat atque extuberat illud in sale nitroso fixo, nequit autem excrescere in herbam duriusculam nisi admisso aëre ad ingignendam germini crustam seu pelliculam. Aër enim Spiritu nitroso volatili acido impraegnatur, qui est Contrarium Salis nitrosi fixi. Deus jam inde à principio duo Contraria creavit,

vit, ut ex illis discrimen inter Bonum ac Malum addiscatur. Eccur Deus indulsit, ut Spiritus cæleſtes ſe in duas partes contrarias diſpeſcerent; id quod ipſe quidem prohibere potuiſſet, dummodò voluiſſet. Quomodo verò Mundus exiſtere potuiſſet ſine parte contraria? Nonne æterna comperta fuiſſet Tranquillitas? prout ex Emblemate inſerto fundamentaliter conſpicias. Itaque hinc pateſcit; Mundum ſine duabus Materiis contrariis non poſſe eſſe Mundum, veluti (Deo annuente) propediem fuſius comprobabitur.

HISTORIA V.

De quodam ſene mortiferè ægrotante, qui veſcens Chriſti corpore ac ſanguine velut in momento convaluit quoad Corpus & animam.

Contigit ut quidam amicorum convenientes epulati ſint, finitoque convivio in ſuum ſe quiſque habitaculum receperit; hic autem ſenex ab illis ſanus ac ſoſpes cubitum abiit. Cæterum poſtridiè ex more negocia ſua obiturus, malè habere cœpit atque cum veſtibus ſe in cubile repoſuit, ubi ipſum mox Paroxyſmus febrilis tam fortis invaſit, ut per 3. horas ingentem perſentiſceret alterationem. Paroxyſmo levatus annitebatur cubitu ſurgere, ſed verò ſe tam languidum debilitatumque comperiebat, ut cubitum redire cogeretur. Omnis ſanguis ipſius ſe ad cor ex toto corpore proripuerat, neque ex illo quicquam reſidui in arterijs conſpiciebatur; Infirmitaſque indies ingraveſcebat.

Quia appetentia edendi ac bibendi prorſus deperdita erat, ita ut nihil ille quicquam aſſumere poſſet, unde corpus vires recuperaret. Et, quod erat peſſimum, ille vir nihil bibere conſueverat niſi vinum generoſum, quod jam ita faſtidiebat, ut illud ne odorari quidem poſſet. Hinc ſibi aquas uvis Corinthiacis, malis Heſperiis, glycyrrhiza aliiſque ſalutiferis medicatas percoqui curabat. Curabat quoque ſibi cocta ex vetulis gallinis aliiſque carnibus juſcula parari, ſed vires proſtratæ non reparabantur. Deinceps ex rato Medicorum conſilio præſcriptæ adhibebantur Aquæ cordiales, ſed ægro cuncta tanto erant faſtidio, ut nullo earum uti poſſet. Occipit igitur bibere cereviſiam ſecundariam, cùm vinum ipſi eſſet nauſeoſum: nec eo minus ipſe ſemper remanſit defeſſus, infirmitaſque adeò invaleſcebat, ut à ſubvenientibus ex lecto tollendus ac in lectum reponendus eſſet. Interim æger ſibi maximè imaginabatur, vinum dummodò illo denuò uti poſſet, ſibi fore Balſamum ſeu Aquam Vitæ ad recuperandum ſuas ſibi vires amiſſas. Hinc pitiſſare aliquoties attentans, duntaxat extremum ſui digiti illo imbuit; ſed odor ac ſapor ipſi erant nauſeæ tantæ, ut ne guttam quidem illius imbibere valeret. Ceraſa quoque acidula cùm baccis rhibis atque conſimilibus refocillantibus eidem indita nihil ſalutis afferebant. Naturali quidem intellectu æger necdum orbabatur, attamen mors ipſi ante oculos obverſabatur; quippe quam jam abhinc octiduo interdiu noctuque exſpectatam exſpectabat. Quapropter

propter amici ipſum conſolabantur, apprecantes beatam ex hac vita migrationem; ipſe verò credere neſciebat, ſibi etiamdum mortem impendere, utpote qui nullos præſentiret dolores. E diverſo Medici conjugem liberoſque compellant: Attendite vobis ratione hujus ægroti, ut pote qui celerius opinione ad plures abierit veſtrâ. Et tandem enim intellectu, viſu atque auditu deficitur Clinicus. Uxore liberiſque cubile ei aliquando reconcinnaturis, ipſe ſedili imponitur, ubi poſt aliquantam ſeſſionem à ſe ipſo deficit, manibus pedibuſque diſtenſis atque oculis capitis diſtortis.

Quo viſo, liberi vociferantur: *Pater intermoritur, pater intermoritur.*

Et cum dicto in genua procidentes, Deo pro patre ſupplicabant. Actutum vicini convocantur, qui ſuccurrunt reponentes ſemimortuum in cubile, ubi ad ſe rediit, ſimulatque aliquantiſper recubuerat. Quum igitur ex liberorum narratione æger intellexiſſet, ſe jam manibus pedibuſque diſtentis jacuiſſe inſtar mortui, rationem facilè ſecum inire potuit, continuò de ſe actum fore, & proinde juſſit accerſi ſacerdotem, ut ſecum S. Cænam pro Viatico tranſmigrationis ſalutari ab eo acceptam ſumeret. Ipſius quippe Meditationes erant hæ: Si Chriſtiani credunt, Chriſti corpus ſanguinemq; in S.Cæna eſſe medicinā ac ſanationē animæ, quidni etiam corporis? utpote quorum ignobilius alterum alteri nobiliori ſe nequeat adæquare. Concipit itaq; Clinicus Fidem fortē, Chriſti Corpus ac ſanguinē ſibi non modo fore Medicinā animæ, ſed etiam

etiam Corporis. Quum igitur ad prævium Conſcientiæ examen ipſi Sacerdos ſacram Hoſtiam in os indidiſſet atque mox Calicem porrexiſſet, tantum robur ſubitaneum, ſimul atque illa aſſumſerat, ejus cor, cerebrum ac omnia reliqua corporis membra occupavit ac pervaſit,ut ipſe quaſi alius ac novus homo evaderet. Quo peracto, Sacerdos abiens adpromiſit, ſe curaturum, ut Deo pro ipſo publicè (dies quippe erat Dominicus) ſupplicaretur. Ægrotus actutum melius habere cœpit. A meridie nonnulli intimorum accedunt viſum, num ægrotus vitam cum morte commutârit, quippe qui jam conjugi liberiſque valedixerat. Audito autem, ipſum etiamnum in vivis eſſe valetudinemque in meliùs ire, ſtabant neſcientes, quidnam ad ea dicerent præ admiratione, quod ipſe ex valetudine deſperata emergeret. Enimverò ipſe, qui adeò ægrotaverat, paulatim infit aliquantulum comedere; etiam poteſt denuò citra nauſeam vino uti, derelinquens aquam ac cereviſiam. Sanguis qui ad cor ſe proripuerat, ſenſim in arterias refluit ita ut æger ex die in diem melius valeat atque demùm vires amiſſas recuperet. Hic vir adhuc in vita manet,quoad Dei voluntas tulerit.Amicis ſciſcitantibus, *cujus remedii uſu tam ſubitò conſanuiſſet*, reſpondit;*Se non niſi Corpore ac ſanguine Chriſti uſum eſſe.* Atenim alii exiſtimabant, Corpus ac ſanguinem Chriſti in S. Cæna quidem ad curandam animæ invaletudinem à Chriſto inſtitutam eſſe, ſed ad corporis morbos adhibenda eſſe naturalia remedia à Deo in eum finem creata.

Quibus

Quibus hic è diverſo dixit: Si qua Medicina eſt tantæ virtutis, ut vel graviſſimos animæ languores depellere queat, quidni & illa levioribus Corporis morbis laboranti eſſe ſaluti poſſet? Ubi quod contradiceret, nemo habebat. Hæc Curatio mirifice ſubita fundamentum ſuum habet ex verbis Chriſti; Chriſti quippe verbis Fides citra ullam dubitationem adhæreſcebat, & ſubſequebantur Fidei fructus, nimirum Corporis & Animæ ſanitas. Quod ſi æger dubitâſſet & fidem verbis Chriſti nullam habuiſſet, nulli quoque Fidei fructus conſequi potuiſſent. Eccujus enim Verbis eſſet fidendum, ſi Dei Verbis non eſſet fidendum.

Habent ſanè mortalium hominum Verba tantas vires, ut per annos ab ipſorum obitu multos etiamnum operentur atque vires ſuas exerceant, prout Hiſtoriæ ſequentes comprobant, cur igitur mortalium hominum Verba verbis Dei immortalis eſſent antehabenda?

Eò autem inſolentiæ jam (eheu!) Pſeudo-Chriſtianiſmus proceſſit, ut Verbum Dei à majori mortalium parte non niſi pro fabula putetur, & Chriſtianorum verè credentium perpauci reperiantur; unde & tot Controverſiæ, acerrimæ vitilitigantium contentiones, diſputationes atque perſecutiones propullularunt, ut pro illis in meliorem ſtatum vertendis divinam miſericordiam imploremus.

HISTORIA VI.

De trucidato illo Romano SULPITIO, *cujus Verba elapsis aliquot ab ipsius occisione annis vires suas exseruerunt ac Fidem Veri merita sunt.*

HIstoria prisca commemorat de quodam insigni Philosopho Romano, qui in quadam sylva à latronibus invadentibus trucidatus est. Corvis autem aliquot inter trucidandum transvolantibus, dicebat Sulpitius homicidis: *Hi erunt necis meæ ultores*. Sulpitii cadaver in sylva defodiebatur, ita ut ipsius agnatos lateret, quò ipse pervenisset. Latrones autem aliquot post annis in civitatem venientes, se inter populum sistunt, ut auscultent, quid rerum ibi agatur. Interea loci dum nonnulli corvi crocitantes (Deo ita dirigente) turbam transvolant, infit unus homicidarum sic dicere sociis: *Ecce vobis ultores occisi Sulpitii!* Nonnemo circumstantium talia inaudiens, deproperansque ad Magistratum illos defert, qui comprehensi & ad quæstionem abrepti crimen confitentur & ad supplicium rapiuntur. Ita verum fiebat, quod sub ultimam vitæ suæ horam Sulpitius tanquam Ethnicus fatus erat. Ut quid igitur dubitant homines & non credunt, consore Verum, quod Christus ceu Veritas ipsa sub vitæ suæ finem dixit.

HISTORIA VII.

Consimiliter Vera, quæ inter nos Christianos contigit.

ACcidit quondam, ut duorum Fabrorum cultrariorum à peregrinatione sua domum reversurorum alter alteri obviam fieret. Unus animadvertens, alterum inter peregrinandum nonnihil nummorum comparsisse, ei insidias meditatus est, quibus ipsi non minus vitam quàm pecuniam adimeret. Ipsis igitur unà per quandam sylvam commeantibus, homicida captat occasionem interficiendi vitâ comitem. Hic verò, antequam occidione occumberet, his interpellat occidentem: *Corpore meo jam putrefacto, te ossa mea accusatura prodent.* Homicida Verba istiusmodi nihil moratur, sed pecuniam occiso adimens domumque rediens, officinam opificii sui instituit. Multis post annis, ubi trucidatus ille jam computruerat & nihil nisi ossa ejus supererant, usu venit, ut cujusdam Nobilis in memorata sylva feras venaturi canes ad occisi illius ossa deferrentur atque ibi consisterent latrantes. E vestigio Nobilis ille eò Ministrum ablegat indagaturum; Quidnam sibi vellet iste canum latratus. Qui eò perveniens, nihil nisi ossa humana invenit, quæ tota à cæli vi erant candefacta. Quo relato, Nobilis ipse eò equitans contendit atque comperit, ossa illa esse tam bellè albida, & proinde jubet,

jubet, ut famulus secum unum atque alterum ex illis tollat, ad conficiendum ex illis manubria cultris venatoriis apta. Iussui paretur. Quum igitur venissent in civitatem, minister Fabro illi cultrario offerebat ossa, jubens, ut ex illis habilia cultris suis venatoriis manubria fabricaretur. Commodùm conspexerat homicida ossa ista, quum tam efflictim consternatur, ut sanguis ex ipsius naribus exundet. Quibus à Ministro significatis, Dominus homicidam citandum examinandumque curat. Ubi Crimen reus statim confitetur supplicioq; afficitur. Homicida, qui primum credere nequibat, occisi verba ultima fore efficacia, tandem eorum vim comperire necesse habuit. Ego arbitror nunquam ullum majus committi peccatum, quàm homicidium immerentium inobedientiamque liberorum in parentes, prout ex Historiis sequentibus cernatur.

HISTORIA VIII.

De pia quadam matre Filioque inobediente, cui mater prædicebat, ipsum certè fore patibulatum, quemadmodum & modicò post matris obitum est factum.

PIæ cuidam matri erat degener filius, unde multa animi ægritudo ipsi creabatur, quippe qui omnem operam docendi ac admonendi eludebat. Mater sæpenumerò dicebat, ipsum nisi rediret ad bonam frugem, certè in pœnam patibuli incursurum esse: Sed ille matris Verba neutiquam habebat curæ. Matre autem defuncta, puer apud opificem

cem collocatur, ſed bonus ac frugi evadere nolebat. Hinc nomen dat militiæ, ubi cum ipſi omnia non ad perſuaſionem ac voluntatem fluunt, cum nonnullis aliis aufugit. Centurio mittit, qui fugitivos comprehendant. Comprehenſi ad Centurionem reducuntur, qui illos ex æquo omnes curâſſet ſuſpendendos, niſi illorum operâ indiguiſſet. Hinc illorum 8. aut 9. ſub patibulum abducuntur luſuri, quemnam ipſorum maneat ſuſpendium. Obverſante jam oculis periculo, vexator matris recordabatur de verbis illius ſibi ſæpè inculcatis, illa jam poſſe in verum abire, atque, dum inter reos reliquos jacit jactum minimæ æſtimationis, ad ſuſpendium trahitur. Atenim inter adſcendendum circumſtantibus dicebat; Se hoc ſupplicium peccato in ſuam matrem commeruiſſe, atque jam fieri verum, quod ipſi illa crebrò prædixiſſet. Ex quo conſpicias, quid verba maledictionis maternæ in filios inobedientes polleant ac efficere queant.

HISTORIA IX.

De quodam alio filio inobediente in matrem ſuam ſeneſcentem.

ACcidit ut quædam ſenectæ ætatis mater ab inobediente filio ſuo indignis modis acciperetur & non ſemel pugnis cæderetur. Hinc mater filio huic impio imprecata eſt, ut manus ipſius nunquam computreſcerent. Filius id pro nihilo

putavit. Atenim post matris obitum obiit atque multis post annis ex tumulo refossus comperiebatur ex toto putrefactus, dextro, quo matrem sæpiusculè percusserat, brachio excepto, quippe quod solum corruptioni non evaserat obnoxium atque proinde ex humo sublatum, est perpetuæ recordationis gratiâ jussu Magistratus in templo suspensum, ubi & illud in hodiernam usque lucem pendet, prout egomet his meis ipse oculis vidi, sed certis de causis nomen loci subticeo. Manus non erat aperta, ut mortui hominis manus cernitur distenta, sed in pugnum contracta. Ex quo videre est, quantæ vires in verbis hominum sunt reconditæ.

HISTORIA X.

De quodam impio filio, cui consimiliter mater maledixit.

Erat matri cuidam impius filius inobsequens, à quo sæpè vapulabat. Mater filio imprecatur, ut vel subitam mortem occumbat, vel ut ipsa eum conspiciat adhuc vivens à carnifice vapulare. Etjam fit, ut filius impius repentinò mortem oppetat contumuleturque. Sed noctu manum, quâ matrem senio confectam verberârat, ex tumulo protendit. Mox ingens fit hominum concursus, & libitinarius jubetur brachium inflectere atque in sepulchrum recondere, at casso ipsius conatu. Hinc illius loci Magistratus curat accersi matrem ad percontandum causam, *quid sibi vellet istud brachium exporrectum*? Ad quod vetula respondet: De eo vobis Dominis meis jam antè satis constat; nonne vobis

ego

ego perſæpè oculis lachrymarum plenis queſta ſum, me à meo filio impio modis tam indignis eſſe tractatam. Ego igitur, vobis opem negantibus, vindictam Dei implorare maternamque maledictionem in eum jactare neceſſe habui. Quocirca ſi vos ſtatis voluntate, ut ſuam ille ad ſe manum ſub humum retrahat atque ita vobis probrum ingeri nequeat, quaſi vos ſitis autores talis punitionis divinæ; accerſitu veſtro veniat carnifex, tantiſper brachium illud virgis cæſurus, dum ipſemet flagellatus illud ad ſe retrahat. Quod & factum eſt. Poſtquam enim à carnifice ſat vapulârat, manum ad ſe in tumulum retraxit. Atque ita utraque imprecantis vox evaſit vera. Filium quippe malignum non tantum mors repentina occupavit, ſed carnifex etiam flagellavit. Agitetur jam quæſo animo, ſi memorato Magiſtratui duntaxat una pii ſanguinis gutta intra præcordia ſaliiſſet, annon totus ſuper iſtiusmodi crimine conſternatus fuiſſet, cujus inſimulabatur autor, dum conniverat, Juri non patrocinans, ſed impio frænum laxans. Cæterum (eheu!) ut tunc agebatur, ita etiamnum hodieque agitur, atque ſine dubio quoque taliter agi pergetur, donec tandem aliquando Deus expergefactus, juſtum ſuum judicium aperiet & in lucem proferet. Quale ſeculum multa Chriſtianorum piorum millia jamdudum deſiderant atque exſpectant.

HISTORIA XI.

Hæc memorabilis Historia non ita pridem in Germania contigit, ubi uxor quædam marito suo interminata est, se (nisi ille ea, quæ ipsi adhuc viventi adpromisisset servanda, impleturus esset) post obitum suum esse venturam atque ob id in ipsum animadversuram. Quod & factum est.

ACcidit, ut mulier quædam etiamnum vivens odoraretur, mariti sui cor inclinatione amoris in quampiam juvencam propendere atque concupiscere liberari ab ipsa insenescente. Cum igitur vetula hæc jam in lecto emortuali moribunda decumberet, marito ad se accersito proponit; ipsum esse haud probè acturum, si post ipsius mortem esset mulierem quampiam juniorem in matrimonium ducturus atque ita à liberis maternam substantiam abalienaturus: ideóque sibi ab ipso adpromitti flagitat; quod proposito suo destiturus esset: Quod si promissis non staret, se esse reversuram ait ipsumque in plena hominum corona redarguturum. Vir omnibus annuit conjugique adpromittit, se nolle secum virginem matrimonio conjuncturum. Commodum autem vetula erat sepulta, quum promissa omnia erant oblivione deleta. Viro igitur aliquando amicos mensæ discumbentes (inter quos & illa invitata accumbebat, quam sibi in matrimonium accipere destinârat) lautè excipiente illisque jam gaudio delibutis, conspicitur de subter mensa brachium album instar defunctorum

ami-

amictum protendi cum pugno atque evanescere, simul atque pectus viri percusserat. Convivæ exterriti interrogabant hominem, quodnam illud fuisset brachium. Convivator ut verbis pavo em ex sensibus convivarum deleret, respondit; rem vacare periculo, & non nisi suam fuisse vetulam. Atqui convivarum expavefactorum redibat suam quisque domum. Interim vir ille in se descendens, tradit se curis Melancholicis, quippe qui deinceps fortuna secundiore non amplius gaudebat, sed omnis ipsius conatus in damnum fatiscebat. Hæc autem non nisi clemens fuit mer es seu punitio exuentis promissum. Quapropter nemo prius moribundo cuipiam quicquam promittat, quàm animum obfirmârit ad satisfaciendum illi. Quia moribundorum verba magnis pollent viribus & vel post multi temporis intercapidinem vera evadunt. Equidem consimilium exemplorum plura ego huc congerere possem, utpote qui de illis ex utriusq; cognitione exactissimè verba facere valerem; sed hæc sufficiant. Manet ergò, quod Deus perfidiam nolit dimittere impunitam.

HISTORIA XII.

De filio quodam adversus patrem refractario qui tandem tamen ante obitum suum resipiscit atque ad frugem bonam evadit.

HÆres unicus erat cuidam patri bene num nato pariter atque probo œconomo filius inobsequens, à quo ille tantisper inquietaba-

tur, dum ipsi suam legitimam bonorum partem elargiretur, quippe qui de facto uxorem ducere volebat. Pater omnigenis dissuasionum rationibus filium à proposito maligno avertere nesciens & verò inquietis fugitans, partem bonorum ipsi tribuere necesse habuit. Filius uxorem ducens, multos suis sibi bonis fratres compotores conciliavit, qui intra paucos annos ipsi rem omnem à patre acceptam lacerabant. Interim pater non nisi spectatorem actûs agere potest, utpote cujus documento ac hortamento nihil loci datur. Quum jam propè esset, ut pater mortem obiret, curat ad se accersendum filium animi ab obsequio alieni, ut ante suum ipsi obitum etiamnum præceptum unum bonum daret, idque his verbis: Fili, tu probè tenes, quot solicitudines mihi confeceris, quàm contumax fueris, & omnem substantiam, quam ego atque mater tua opera molestiaque multâ duriter comparsimus, cum vanis tuis sodalibus tam turpiter disperdideris; Jam autem ego sum morti vicinus. Quod quum tu hactenus quidem nunquam mihi te morigerum præbueris, hac unica tamen vice saltem meo ausculta consilio, & fac quæso quod tibi dixero. Si enim illud feceris, ego tibi assevero, Deum tibi injuriam omnem, quâ me affecisti, non imputaturum esse, sed tibi benedicturum domumque tuam totam amplificaturum. Sin morigerari nolueris, scito, Deum esse te coram toto mundo puniturum, atque malum omne, quo me mactâsti, tibi hîc in temporariis & illic in æternis repensurum. Quapropter porrecta dexterâ mihi stipulanti adpro-

adpromitte, te velle ultimo huic meo consilio parere. Patri filius pollicetur, se imperata facturum. Tum demum infit pater mentem suam filio de generi aperire verbis hujusmodi: Tu nôsti, me tibi jam antea, quodcunque habui, paulatim dedisse, atque ideò perpauca restare, unde haud diu victitare poteris. Quanto autem probro fores patri tuo jam inhumato, si tu adeò depilatus in conspectu populi incederes! Ut igitur hanc ignominiam antevertas, ex re tua fore arbitror, ut simul atque omnia absumseris, abeas te suspensum. Quippe illic in cella fornici ego à cæmentario annulum ferreum infigendum curavi, cui restim annectas, quâ te suspendas. Tunc enim & me ignominia nullâ afficies, & verò te miseria omni eximes. Quod si obsecundare nolueris, ego veniam ipsemet fracturus tibi jugulum. Tametsi hoc erat præceptum durum impletu, tamen quia filius adpromiserat, se ultimo patris consilio esse auscultaturum, perficiendum erat. Pater autem antea in fornice supra annulum bonam auri partem tali arte abstruserat, ut unus lapis inde excideret, si quid ponderosi ad annulum suspenderetur: id quod filium planè latebat. Patre jam mortuo, filius omne peculii residuum brevi dissipat. Itaque quum jam nihil amplius intervertendum superesset, memoriâ repetit prodigus ultima patris verba, quibus obedientem se fore promiserat. Hinc abit quæsitum laqueum, eumque ad annulum adstrictum trahit periclitans, num sit sat validus ipsi ferendo. Qui dum ita funem trahit, cumprimis lapidem illum, cui annulus

affixus erat, educit, post quem continuò bona pecuniæ pars delabitur. Quam filius contuens, in se descendit, amarè illachrymando; se patrem suum senem toties offendisse, qui tamen tam benè ipsi cupivisset; actisque Deo gratiis pro omnibus, in silentium descendit neminique rem aperit, sed primum sibi, suæ parti liberisque integras vestes conficit, cauponas fugit, hominis instar vivit atque incipit laborare ac res domesticas dispensare de integro. Compotores ipsum cum liberis taliter amictum animadvertentes, revisunt, (quem paulò ante agnoscere nesciebant, ubi nihil ipsi restabat abliguriendum) rati, se fore cum ipso omninò consumturos, si quid peculiare etiamnum vendendum ei superesset: memoratus autem filius dissimulanter ferebat, se vel minimum quicquam possidere. Compotores tamen ipsum iterum atque iterum inquietantes, adpromittebant, se fore pro ipso soluturos cauponi, meditantes, se siquando ipsum reddidissent ebrium, ex ipso posse elicere, si quid reliqui compotationi tribuendi penes ipsum esset. Ille verò eorum blanditias in aures suas non mittebat, sed patris sui consilium sectans, cauponas evitabat, honestè sibi, suæ conjugi liberisque victum quæritabat & vir tantæ virtutis evadebat, ut non minus quàm pater aliis prudentia, modestiâ & opulentiâ anteiret. Ex quibus colligas, benevolum Patris consilium à liberis esse acceptandum, etiamsi non ex omni parte videatur esse optimum.

Prove-

Provecta enim ætas multò longius in posterum prospicit quàm juventa. Adolescentes vegeti ac delicati hinc condiscant, quod teneantur bono parentum consilio auscultare, quamvis meliora sibi persuadere calleant; si non, eos manet parentum maledictio & Dei punitio.

HISTORIA XIII.

De quodam filio, qui suum præcipitatæ ætatis patrem percussit ac deinceps à suo filio vicissim ex Dei vindicta atque patris imprecatione percutiebatur.

RUstico cuidam locupleti unicus erat filius, cui omnia indulgebat & nunquam in eum animadvertebat. Hinc filius adeò efferatur, ut patri nequicquam morigerari velit, sed omnia illius bona inutiliter profundat. Profusis autem jam omnibus, patrem senem ad plura danda cogebat. Quem quum non haberet quod daret, percussit & per crines arreptum in fimetum usque pertraxit. Ubi pater filio impio sic imprecatur: *Faxit Deus, ut filii tui tibi idem faciant quod tu mihi fecisti.* Sene jam mortuo, filio filii nascuntur qui ipsi ita faciunt, ut ille patri fecerat. Quum itaque aliquando à filio percussus & per crines è domo in sterquilinium usque abreptus esset, dixit illi: *Mi fili, desine ferire & noli me ulterius rapere, quia ego quoque tantum hucusque patrem meum pertraxi.* Ex quo perspiciatur, quantas habeant Patris verba vires operandi vel

poſt ejus mortem. Etiam filii inobſequentes in hoc tanquam in ſpeculum inſpiciant & certò ſtatuant, ſe taliter à filiis ſuis poſtea tractatum iri, qualiter ipſi antea parentes ſuos tractârunt.

HISTORIA XIV.

De quodam homicida, qui ex conſpectu cujuſdam capitis vitulini, quod ſuſpicatur eſſe humanum, ſuum prodit homicidium.

LAtro quidam hominem in ſylvâ jugulârat, qui inter occidendum occidenti dixit inſons: *Compenſet hoc tibi Deus.* Eveſtigiò latro pecuniam occiſi capit & abit. Multis poſt homicidium annis aliquando homicida apud lanionem caput vitulinum mercatur, quod in apertum ſaccum ſuum ab ipſo coniici curat. Quo facto, ad caput vituli expaveſcit, cum ſibi videretur videre caput illius quem quondam trucidârat. Aperiens itaque ſaccum, introſpicit atque denuò expaveſcit, & ſacco cum capite vitulino poſt ſi derelicto abit. Lanius neſciens, quid ſibi hoc velit, inſequitur homicidam poſtulando, ut vituli caput, pro quo ſolviſſet, ſecum auferret. Homicida autem ita angitur, ut poſt ſe reſpiciat, numquis adſit ipſum prenſurus. Circumſtantes (quibus iniicitur ſuſpicio, hoc non eſſe recti veſtigium, ſed alicujus criminis grandis alicubi patrati indicium) homicidam detinent; qui examinatus, homicidium confitetur & ob id ad ſupplicium rapitur. Hic homicida procul dubio ſecum de ſecutura Dei vindicta nihil commentatus eſt, quip-

pe

pe quoniam multi jam anni effluxerant, ex quibus ille impunè abierat: Verumtamen ultima trucidati verba imprecantia tandem aliquando fidem veritatis mereri debuerunt. Deus namque eſt longanimis & non continuò punit, ſed mavult, ut peccator reſipiſcat pœnitentiamque agat: ſi non; neceſſe eſt conſequi Dei vindictam mercedemque maleficii meritam. Quapropter nemo impius unquam meditetur; Res vacat periculo, ego peccare pergam, Deus eſt tam benignus, ut nullus puniat. Sed cave tibi, ajo ego; Deus ſuum temporis articulum novit, quando ſibi veniendum ſit; ipſe quippe propterea non emanſurus eſt, quamvis ſerò adveniat.

HISTORIA XV.

De muto capro exanimi amicos probante.

PRudenti cuidam patri ſeni erat adoleſcens filius naſutulus, qui, ut ſibi perſuadebat, vel ipſo plus patre ſapiebat, & proinde eidem obedire nolebat, ſed ſocietatem cum amicis fucatis compotoribuſque conflabat & patrimonium dilapidabat ſub ſpecie conciliandi ſibi inde amicos certos, quorum patrocinio ac ope poſt patris obitum niteretur frueretur-que. Quantumcunque autem pater contradicebat; omnem iſtiuſmodi amicitiam non eſſe ex corde veram, ſed ore duntaxat ſimulatam, filius tamen patris dicto audiens eſſe nolebat, uſque dum nihil amplius reſtabat abliguriendum. Tunc pater aliud quærebat medium edomandi filium efferatum, quippe

quippe quem ſic affatur: Agedum! hirce inobſequens, pertinax ac ferox, cum tu tui patris conſilio omninò parere nolis, te caper mortuus convincet & vera faciet, quæ ego tibi jam toties dixi. Obſequere mihi in hoc atque ſic age: Ingreſſus caulam, macta caprum, quem inde in ſaccum, & primis tenebris ad illum quem pro optimo amicorum tuorum putas, tecum defer, obſecrans, ut tibi (utpote qui comminiſcaris, te homicidium feciſſe, & neſcire quò cadaver abſtrudas) ſuppetias ferat atque permittat, ut illud alicubi inhumetur & tibi locus evadendi ſubminiſtretur. Illicò namque comperies, veruſne ſit amicus, necne. Et ſimulatque hujus animum exploraveris, illinc cum tuo te capro capeſſe ad reliquos amicos tuos, ad eos hac viâ exploratè cognoſcendos, & comperies eſſe verum, quod tibi ego frequenter dixi. Filius juſſui patris obediens, ſuum deportat caprum ab uno amico ficto ad alium, atque à nemine intromittitur, ſed à quolibet eorum redarguitur & cum ſuo capro abigitur, uſque dum cunctis in caſſum ſollicitatis, tandem ad unum quem exiſtimavit minimum omnium, pervenit, qui datis auribus facilibus, ipſum in ædes admittit & conſilio juvat, quâ viâ periculum effugiat. Filius igitur animadvertens, hunc eſſe verum ſyncerumque amicum, enarrat, ſe in ſacco non bajulare virum quendam occiſum, ſed ſaltem caprum, idque inſtinctu patris ad diſcernendum inter amicos falſos ac veros. Poſt hæc experimenta accepta, hircum filius patri domum

mum referens, commemoravit, ſe ab uno duntaxat ex omnibus intromiſſum, cæteros autem univerſos compertos eſſe fucatos, & proinde ſe cogi ad confitendum, quod malè egerit & in Deum atque in patrem graviter deliquerit, dum tam obſtinatè ipſi repugnâſſet. Pater errata condonans, filium in gratiam recipit, qui in ſemitam rectam rediens, deinceps patris veſtigia calcavit. Enimverò ſi hic pater conticuiſſet, aut filium ulterius inſtruere intermiſiſſet, ille procul dubio ad horam fati ultimam uſque hœdus efferus permanſiſſet: qui tamen fido patris benevoli alloquio & ſermone aſpero tandem reſipuit ac probus evaſit.

Sicut igitur hîc nonnullæ Hiſtoriæ ſunt relatæ, quemadmodum matris maledictio & patris benedictio, tametſi non niſi nuda ſint verba, tam in vita quàm poſt mortem eorum exercent magnas ſuas vires: Ita quoque Hiſtoriæ multæ referri poſſent, quibus comprobaretur, quod præter benedictionis & maledictionis verba etiam voces jocoſæ contineant vires ingentes, idque cumprimis ſagato, peſtilenti aliiſque periculoſis temporibus, ubi vel per ſe corda hominum ſunt debilia; & leviter ſenſibilia, atque citius verba auribus admittunt quàm aliàs; prout ego non ſemel expertus ſum, quod juniores homines vexandi gratiâ invicem ſe jocando interrogârunt: *An tu laboras peſte? Eccur ita palles?*

Hi

Hi verò verba hujuſmodi tam profundè ſibi in animos impreſſerunt, ut illicò peſte correpti atque extincti ſint. Paucis his Hiſtoriis ſatis cognoſcendum dedimus, verbis vires ineſſe ingentes. Supervacaneum igitur foret, plura Exempla in medium proferre.

Videamus jam de Viribus latentibus in Lapidibus, utpote de quibus Salomon nihil ſcripſiſſet, niſi ipſi innotuiſſet, quid in illis reconditum eſſet.

De Viribus ac virtute Lapidum.

PAracelſus quidem ſub finem ſui *Cœli Philoſophorum* adſcribit Lapidibus & nominatim *Gemmis* multas Virtutes, veruntamen potius prout vel auditione accepit vel in aliorum ſcriptis legit, quàm Experientiâ cognitum habuit, id quod grandium non eſt expers errorum. Quippe præter cætera exarat, *Smaragdum* confortare viſum memoriamque, conſervare caſtitatem, eâque ruptâ rumpi; ſed fabulæ ſunt expertes Veritatis. *Adamantem* eſſe Cryſtallum nigram, vulgò dictam *Diamant*, & poſſe ſolvi ſanguine hircino: id quod etiam à veritate alienum eſt. Illum hoc alicubi legiſſe largior, ſed longius vero aberrat quàm cœlū à terra diſtat. Adſcribitur quoque Adamanti, ipſum eſſe tam durum, ut incudi ſuperimpoſitus ac malleo gravi percuſſus maneat integer: id quod etiam à vero diſcrepat. Hanc quippe gemmam in mortario perfacilè comminuas & in pulverem tenuem redigas. Quum ego

ego in adoleſcentia mea peregrinarer, Lutetiæ Pariſiorum offendi Chryſurgum Argentorato oriundum, qui apud herum ſuum adamantem 1000. Ducatis æſtimatum, quem auro claudere tenebatur, parvo malleolo, vix pondus drachmæ æquante, fruſtillatim contrivit, conquerens de illis concionatoribus ex quibus audiverat, adamantẽ ne magno quidem malleo comminui poſſe, utpote de quo ipſe jam diverſi quid non ſine ſuo damno comperiſſet. Talibus & conſimilibus abſurdis libri veterum ſcatent; ubi identidem alter alterius ſomnia exſcripta proſequitur: quod tamen fieri nequaquam debebat, ſed multò præſtaret, neminem plura ſcribere quàm quot perdocuiſſet ipſum experientia. Cæteroquin Paracelſus perbenè de Gemmis ſcribit; quod ipſæ quoad Interiora ſua multò puriores ſint quam ipſum aurum fixum; quod & compertum eſt verum. Ubi autem ſunt illi, qui ex gemmis callent extrahere Tincturas efficaces? Revera perdifficiles repertu. Quia vel Corroſivum fortiſſimum in eas nihil prorſus efficere valet. Quicunque verò illas ſine ullo corroſivo in aquam limpidam reducere poteſt, ille poterit inde Tincturas vireſque nobiliores deinceps ſaltem cum Spiritu vini extrahere. Sub hæc ſi quis Tincturas è gemmis elicuerit illiſq; ingreſſum dare calluerit, habebit Tincturam ad tingendum Metalla. Id autem è perlonginquo eſt petitum, ſiquidem perpaucum Tincturæ in gemmis reconditum eſt; exceptis quibuſdam lapillis non pellucidis, qui Tinctura ſunt pleniſſimi, veluti Jaſpis aliique complures nullius penes vul-

vulgus æstimationis lapides. Etenim tota libra Rubinorum, Smaragdorum, Jaspidum Caspiarum seu Turcosarum, Sapphirorum & consimilium vix semidrachmam Tincturæ in se continet. Quæ ego Experientiâ didici & propterea de illis etiam ex fundamento dicere atque scribere scio. Hoc autem esse verum, sic comperias: Uni libræ vitri puri immisce quasi drachmam cineris Veneris, fortique igne simul funde & reperies vitrum prasinum. Similiter tota quoque vitri libra pulcherrimo Sapphiro conformatur; si modo drachma Cobolti vel bismuthi, paleæ seu scoriæ fusa addatur. Consimiliter una drachma ferruginis transformat libram vitri in lapidem flavum Hyacintho æmulum. Aliquantò melius animadverti potest, parum Tincturæ inesse gemmis, si quis Tincturam Auri, aut saltem drachmam Mercurii Philosophorum ex Auro & Argento extracti fundat cum una libra vitri; tunc namque ejusmodi vitrum evadit summè rubidum similiter Rubino respectu coloris, prout ego egi. Quo si quis adeo fortunatus esset, ut vitro præter bellum colorem etiam indere posset duritiem, illi nihil laborandum esset de panis pretio. Ex quo elucet, quod parum Tincturæ possit multa vitra tingere; & idcirco perparum Tincturæ in gemmis reperiatur: exceptis quibusdam nullius æstimationis lapidibus vulgaribus, in quibus multum Tincturæ inest. Quippe præter cæteros vilissima illa gemmarum Jaspis plus Tincturæ quam ulla alia gemmarum in se continet: utpote quæ alioquin indigna esset, ut vel nominetenus inter gemmas

gemmas referretur. Boni quippiam in Jaſpide reconditum eſſe, vel ex eo arguitur, quod inter cæteras gemmas in illa tabella, quam Aaron ſuper pectore geſtare tenebatur, in memoriam XII. Tribuum Iſraëlis, iſthæc nominatim Tribui Benjamin atttibuta ſit. Ex ſpecie ejus externa minimè id apparet, quippe quæ plerumque eſt virore non tranſlucido, aut coloribus ex rubro & albo miſtis prædita reperitur. Quantum mihi conſtat, illa nullum alium præſtat ſui uſum, niſi ut ipſi ſigilla incidantur; quippe quæ aliquantæ eſt duritiei atque ſe lævem acutamque in formam præbet ſecandam. Equidem alias præſtò erant gemmæ longè formoſiores, quæ Iaſpidis vice pectorali Aaronis inſeri potuiſſent: cujus ratio nobis eſt ignota, ſed ſua ipſi Tinctura ſanè probè adimi poteſt. Boni quid Jaſpidi ineſſe, Veteres his quoque Diſtichi verbis innuerunt:

Auro quid melius? Iaſpis. *Quid Jaſpide?* Virtus.
Quid Virtute? Deus. *Quid Deitate?* Nihil.

Si igitur Jaſpis eſt precioſior Auro, & Virtus præſtabilior Jaſpide, & Deus milior virtute, ac Deo melius nihil, in Iaſpide ſanè plus boni quàm in Auro ipſo ineſſe neceſſe eſt. Cui quidem aſſertioni fides non derogabitur, ſiquis modò ex ea gemma Tincturam elicere callet, quandoquidem ejus Corpus nulli poteſt eſſe amplius uſui. Poſthabito igitur hoc omni, *Quænam gemmarum contineant plurimum Tincturarum*, cum illis non ægrè carere queamus, utpote quibus ſuppetit Aurum purum, quod eſt mera Tinctura ſine involucro, prout in meo primo Dialogo inter A & B tractatur.

D *Iam*

Iam progrediamur ad Virtutes Medicinales; numnam earum nonnullæ in illis ſint reconditæ.

MUlti antiquorum, nec non noſtri Medici moderni, qui Naturæ indolem non nôrunt, etiamnum arbitrantur, quod gemmæ pulveriſatæ, ſi in corpus aſſumantur, multum operentur, prout hoc eſt poſitum in more pharmacopolarum, qui tales lapillos ægrotis dant exhauriendos. Demirandum autem eſt, quod Medicorum omnium nemo talem craſſum errorem cernere & abuſum abolere affectat. Gemmæ ſunt inſtar vitri, ventriculuſque humanus eſt nullâ præditus vi extrahendi ex illis quicquam boni. Quod ſi *Aqua* fortiſſime *Fortis* id efficere nequit, neque *Aqua Regia*, quantò minus præſtare idem poterit miſer ille debiliſque ſtomachus? Quotuſquiſque autem cæco poteſt oculos ad videndum aperire Mundo videre nolenti? Grandi profectò infamiæ eſt ea res illis omnibus, qui per ignorantiam ægrotantibus tales comminutos lapillos dant imbibendos. Præſtaret ſanè, ut eis equinam, caninam aut porcinam merdam exhiberent deglutiendam, quippe quibus nonnihil ſaporis, odoris viriumque ineſt; lapidibus autem nihil prorſus. Quam miſere ſodes opulenti falſis lapidibus beſoarticis ex gypſo conflatis vexantur incurioſeque tractantur! Sedenim ita ſecum agi volunt; quidni efficaciora procurant apothecis medicamenta? Nulla quippe exſtant exempla, tales

tales inefficaces lapides unquam dextrè quenquam curasse. Sed quid ego dicam? Mundus vult decipi; idque non uno, sed duplici modo, quo ægrotantibus per gemmas, lapides bezoarticos, margaritas atque corallia imponitur. Licet enim ab ipsis germani lapides pulverisati, puta granati, sapphiri, smaragdi, Hyacinthi atque Carneoli imbibantur; stomachus tamen in illos nihil agere potest, cum ne *Aqua* quidem fortissimè *Fortis* quicquam in eosdem possit; quocirca & ipsi nihil suarum virium exserunt. Quibus accedit & hæc impostura, quod Materialistæ loco memorotarum gemmarum alios lapides coloratos pharmacopolis divendant, prout ego non semel ipsemet vidi quod venundederint pro Sapphiris tales cæruleos lapides pellucidos, qui in ♀ fodinis reperti à Metallariis nuncupantur Fluores. Hi autem Metallum Corporale nullum continent, sed colorem suum in igne amittunt atque albescunt. Horum quoque lapidum inveniuntur alii virides, alii rubidi. Tales Fluores pro veris gemmis venduntur Apothecariis à Materialistis. Pharmacopola eos, quippe quos non internoscit, minutim conterendos curat, Medicus autem ægris assumendos præscribit, quibus tamen necessariò plus noxæ quàm salutis afferunt, cum nimirum in illis etiamnum lateant Spiritus venenosi volatilesque. Hoc autem esse verum, sic experiaris: Per prunas candefac particulam lapidum istiusmodi viridium aut cæruleorum in crucibulo, & attendens, videbis,

bis, quod viride, cyaneum aut citrinum, te inſpectante, in fumum fatiſcat & lapis in album pulverem abeat. Habent quidem Granatos fuci expertes; ſed illi tamen nihil prorſus valent ad Medicinam. Eodem modo ægri per cæruleum lapidem Lazuli falſum falluntur, quem non ſemel cerebro laboranti imperitia Medicorum ſubminiſtrat, ſed incaſſum. Enimvero lapis Lazuli genuinus nullas edit virtutes, cum à nulla ▽F tangi queat. Taceo quod perraro lapidem Lazuli verum in pharmacopoliis reperias, ſed cæruleum quidem ♀ lapidem, qui tamen nihil prorſus conducit ad uſum Medicinæ. Similiter quoque raro in pharmacopoliis comperias germanum lapidem bezoardicum, ſed multarum quidem librarum tales, quales ex gypſo confecti non niſi in ægrotantium perniciem adhibenur. Magiſteria perlarum & corallorum aliorumque lapillorum quoque nihil prorſus valent. Quævi pulveriſata concha pariter atque cancrorum piſciumque lapilli ferè idem præſtant quod uniones & corallia. Nihilominus tamen ſi quis ſecum conſtituerit uti perlis coralliiſque, ille ſaltem iſta ſubtiliſſimè pulveriſet & nulla ex illis conflet Magiſteria, quia per acres illas aquas, quibus ſunt ſoluta, ipſorum vires, quantumvis paucas habeant, corruptæ evaſerunt. Omnes namque tales aquarum fœtus, quales ſunt conchæ margaritiferæ, muſculi, cochlearum domunculæ & lapilli cancrorum piſciumque ſunt uniuſmodi naturæ indoliſque; ſiquidem ſuper prunas uſta

usta in calcem albam abeunt, at extra prunarum ignem facilè per acetum aliasve Aquas fortes solvuntur. Itaque quum illæ tam facilè solvantur, ob id (si quæ ipsis virtutes seu vires insunt) minutatim pulverisata propinentur, & stomachus illa per suum, quod habet, Acidum solvet digeretque atque ita illa tales suas vires satis exserent: ego tamen nondum vidi, quod unquam singulare quicquam per omnia jam in medium allata, nempe conchas, lapillosque cancrorum ac piscium, corallia perlasque effectum sit. Quod autem usus inidoneorum istiusmodi lapidum in pharmacopoliis usque ad nostram ætatem vigeat, certis nititur atque fulcitur rationibus, quas ego quidem detegere possem, nisi hanc lampada alii tradere cuiquam mallem. Absque quo esset, forsitan jam pridem gemmæ & consimiles inidoneæ magni precii res ex myropoliis exauthoratæ essent. Nullus autem dubito, quin (simulatque mei *Spiritus volatiles Metallorum*, *Tinctura Auri & Corallorum*, nec non *Quinta Essentia Metallorum* passim innotuerint) multa sordidi quæstus artificia sint collapsura paulatimque interitura; nisi unus fortasse quisque malit cæcus manere quàm lucem videre. Assevero itaque iterum, quod omnes gemmæ, cujuscunque sint nominis, ne minimas quidem exerceant vires in corpore ægrotantis. Quod si illis Tincturæ fuerint extractæ, animaque pura à suis folliculis mortuis separata, res magnæ per illas tam in Medicina quàm in Alchymia effici possunt; prout sequens Exemplum dilucidè atq; perspicuè demonstrabit.

Da homini cuipiam ſano validoque ſaltem unum granum veræ Tincturæ Auri aut Quintæ eſſentiæ Metallorum aſſumendum, & totum ejus corpus commovebitur. Quod ſi alii grano Tincturæ addas X. aut XII. grana vitri & unà colliquefacias, vitrum quidem pulchrè rubeſcet, ſed in pulverem redactum hominique propinatum, ne minimæ quidem operationis ſigna edet; idque ideò quod Tinctura ſeu Medicina per vitrum eſt illigata & quaſi involucro ita circumdata, ut vires ſuas exercere nequeat. Ex quo videre eſt, quod folliculi vel ſuas optimæ cuique Medicinæ vires adimere valeant. Quum igitur Medicina pura ſeu Tinctura ſit tot involucris amicta, quomodo quæſo eadem aliquantùm operari poteſt? Quicunque autem Tincturam ex ſiliquis mortuis elicere callet, ille Medicinam efficacem nanciſci poteſt; alioquin autem nequaquam. Et vitrum enim nullas, ut ſæpicule dictum, vires de ſe ejaculari poteſt.

Audiamus jam, in quo conſiſtant Virtutes Lapidum, *quorum Salomon tantopere commeminit.*

MAjor pars, ni fallor, eò collineabit & autumabit, quod gemmæ ex ſua ſibi inſita natura propria nullas poſſideant vires, niſi ipſis quædam ſigna ſeu Characteres ſub certa quadam cæli Conſtellatione fuerint inciſa, prout Ægyptiis, Chaldæis, Græcis, nec non Romanis uſitatum fuit; quippe quos lapides auro clauſerunt, & ad col-

collum vel etiam in digitis gesserunt; quemadmodum & senoribus hodiernorum Judæorum Rabbinis adhuc mos est; qui mos à Salomone, quem multa de consimilibus Characteribus scripsisse perhibent suam ducit originem. Egomet multos ipse talibus similes Lapides apud veteres Judæos opulentos vidi, nunquam autem cognoscere potui, quemquam per illos boni quicquam effecisse. Extra hæc autem, si quando fortis quædam accessit Imaginatio atque valida Fides, quam illis habebant, aliquantulum operabantur, alioquin absque fide nequicquam prorsus. Hinc quærat quis: Si naturâ vires nullæ in Lapidibus sunt reconditæ, sed omnis effectus duntaxat incisis in illos Figuris seu Characteribus debetur, quid igitur opus est gemmis? Annon auro, argento aliisve Metallis Figuræ seu Characteres insculpi possunt? Ad quod respondeo; Me quidem varia id genus sigilla Auro, Argento aliisque Metallis incisa vidisse, sed nunquam efficaciam aliquam in illis deprehendisse, exceptis illis, qui Fide forti illis adhæserunt, usque adeò ut non tam Aurum, Argentum, aut insculptus Character quàm sola Fides operata sit. Quod ut tantò melius mentibus comprehendatur, non sine usu fuerit, expromere nonnulla exempla, ex quibus luculenter patescat, quod neutiquam Lapis, Aurum, Argentum, aliudve Metallum, neque ulla illis incisa Sigilla, Figuræ aut Characteres, sed tantummodò nuda Imaginatio ac Fides fortiter concepta efficiat illud; prout ex sequentibus Historiis effulget.

De annulo ex catena patibularia *confecto*, *cui* Characteres *incisi* Spasmum *depellunt*.

DIuturni illius Bohemici ac Suecici belli tempore, ubi tota Germania erat referta stratiotarum, cogebantur in civitatibus cives juxta atque agricolæ in pagis præsidia hospitiis excipere. Sub idem tempus contigit, ut duæ peditatus cohortes in urbe quadam convenirent, quarum ambo præfecti spasmo in digito dextræ medio conflictabantur. Alter eorum erat inops consilii de remedio, alter verò secum gerebat annulum fabrefactum ex catena, quâ carnifex non neminem suspendio dignum strangulârat ad patibulum; quem annulum, quotiescunque ipsumSpasmus incessebat, digito vexato inducebat & dolor spasticus remittebat. Quod alter animadvertens, hunc ducem deprecabatur, ut sibi annulum istum utendum daret. Qui annuens, ipsi annulum commodat. Quo accepto, ipse procul ulla mora accersitum ad se rogat fabrum argentarium, num sciret talem ex ferro conficere annulum, qualis omnimodè referret hujus similitudinem. Faber argentarius operæ prætium pactus fabricat annulum, cui tales characteres, quales in altero exstabant, tam concinnè insculpsit, ut inter utrumque nulla perciperetur differentia. Hac viâ retinet sibi hic annulum patibularium, & tradit isti alterum, qui tantundem operabatur, quantum verus, siquidem ipsi de nulla impostura constabat. Tandem ab aliis de ea certior factus, annulum proprium repoposcit, quorum tamen annulorum

uter-

uterque neutri poſſidentium deinceps ulterius adverſus Spaſmum profuit, utpote quorum fides in eos exſpiraverat. Ex quo videre eſt, quod non Catena patibularia, neu Characteres, ſed ſola Fides, quam illis habuerant, Spaſma depulerunt.

Erat matri cuidam filius effrenis, qui nolens diſcere artem mechanicam, proficiſcebatur in militiæ diſciplinam. Sub abitum autem mater ſubter dextrum ipſius lacertum recondebat aliquantum *Primi* virginis *Menſtrui*, admonendo, ipſum fore invulnerabilem, ſi modò ſibi caveret à ſcortis, ſed ſi cum illis rem haberet, artem ipſi non amplius profuturam. Ille matris dictis audiens, & ſua arte fretus adeò inſoleſcebat, ut cum nemine non digladiari præſumeret, & quotieſcunque ipſi cum quopiam erat concertatio, ſemper victor ex arena abiret invulneratus. Talia patrabat ferox ille caput per aliquot annos & dies, quoadusque præcepto matris violato adverſus quemquam rixam committeret, ubi quidem ferro traiicitur, vita tamen nondum cum ſanguine effluit. Quocirca ille poſtea cum nemine ulterius dimicare amabat, utpote cui ſua Ars nulli amplius erat præſidio.

Harum quidem Hiſtoriarum plures huc adjungi poſſent, ad comprobandum, quod non lapis, neque Characteres eidem inſculpti, ſed ſola in illos Fides effectum producat, ſed minimè neceſſarium duco illas fuſius tranſcribere, temporis fallendi gratiâ; nihilominus tamen aliquot pauculæ huc adferentur, è quibus cernatur, quod

 iſtiuſ-

istiusmodi supernaturales operationes raræ ex sola Fide (sive in bonum sive in malum illa dirigatur) oriantur.

Quidam Medicus conficiebat Amuleta ex venenoso Arsenico atque Mercurio, quibus insculpendos curabat Characteres contra Pestem,& postmodum ea suæ conjugi liberisque,aliisque permultis ad collum suspendebat, unde per tempus benè longum Patientibus medicatus est Moriente autem liberorum suorum uno ; reliqui (qui se quoque videbant lue infectos) Amuleta abiiciebant atque è domo sua ad unum omnes emoriebantur, quippe qui Fidem in illa deperdiderant.

Quidam bibaculus nescius, unde sibi victum quæritaret, talem comminiscitur dolum, ut venales formet febricitantibus chartulas ad collum appendendas, in quas inscripserat sic: *Caro pinguis pingues præbet offas*. Insuper interdicens, ut nequis acceptarum ullam aperiat, sed simulatque à febri perfunctus esset, illam in ignem conjiceret. Multi qui ei fidem habebant, à febre liberabantur. Unus autem cæteris curiosior posteaquam in schedula à se aperta nil nisi voces subsannantes perspexisset, rem divulgat. Quo facto, autor schedularum ne unam quidem febriculam amplius curare poterat.

Sanguinis è naribus profluvium nonnulli,Chartulæ cuidam inscripti, Characteres omnibus in illos credentibus, quamprimum illam manibus contrectabant ; fidem autem illi abrogantibus, nihil salutis afferebat.

Quidam

Quidam ſylvæ ſclopetarius ope ſuperſtitionis ſuæ effectum dabat,ut nemo preter ipſum alius poſſe tunam feram emiſſa ſclopeti diſploſi glande contingere,quotieſcunq; ſaltem ſuum ipſe cultrum è vagina ducebat eundemq; inverſum in illã recondebat.

Vixit vetula quæ militem quendam digladiaturum vel inſcientem ita præſtabat tutum ſalvumque, ut neque cæſim neque punctim ſauciaretur, ſi quando ipſa domi ſuæ non niſi ipſius calceos de loco uno in alium transferebat.

Luſor quidam felix ſecum Ligni fragmentum geſtabat, ad quod aliquis junior apum dux cum ſuo examine adhæſerat. Quod quamvis ipſi aliquando è folliculo furtim ſubtractum fuiſſet aliudque in illum pro iſto ſuo commune viciſſim tam aſtutè inſertum, ut nequicquam ſentire potuerit, nihilominus tamen colluſores vincebantur ab eo æque poſtea atque victi erant antea. Cæterum ſimulatque aliquando animadvertiſſet, ſe ſuo eſſe ſpoliatum ligno, ulterius nihil lucrifacere poterat.

Medicus quidam caſtrenſis aliquot 100. milites dyſenteria laborantes curabat, quippe quibus bonum Crocum Martis aſſumendum dabat. Eo autem conſumto, ipſe ad excubias, à quibus exſtruuntur ignes, abit ubi ferramenta cremata è cineribus conquirit, quæ patientibus pro Croco Martis vero dabat eoſdemque illis feliciter curabat. Re autem emanante, ipſius medicinam non niſi è cineribus eſſe conquiſitam atque vetuſto ferro cremato abraſam, nemo amplius ei fidem

habere voluit, neque ipse ulterius cuiquam medicari potuit.

Cum aliquando à peste grassante omnes cujusdam urbis Medici fuissent exstincti, senex quidam sacerdos se profert, qui nonnullas collegit herbas, quas contra luem pestiferam censebat profuturas, & superfusum eis liquorem bibere dabat, utpote cui ratione senii ac sacerdotalis officii, multum crederetur. Postquam autem taliter multa curandi specimina edidisset, ipse quoque è vivis excessit. Mox patientes opem ministri implorant. Herbis autem omnibus, quibus usus sacerdos fuerat, consumtis, alienas, ab his Minister ægrotanti cuique subministrat; quæ quoque toties ac tantisper medicantur, dum in cognitionem adducitur, ipsum non tales dare herbas, quales sacerdos dederat. Ita Fide collapsâ, populus emoriebatur.

Cum in Germania artificiosissimus quidam tornio omnia quæ habebat vel tornando acquirebat, potationibus absumsisset, dolum meditabatur; cujus ope facilius sibi victũ parare posset quàm tornando. Hinc abit ad acicularium, à quo sibi curat aliquot unciarum parvas particulas è filo chalybeo secandas, quas super peculiari quadam mola à se in eum finem fabricata callebat formare prorsus rotundas ac læves, easque deinceps super candenti ferri lamina huc illucque volvebat, ut omnes colorem bellè cyaneum traherent & speciem seminis raporum referrent, quantumvis multò læviores ac fulgentiores. Hic tornandi artifex apud vulgus (quod de

pe rebus ſtatuit contrarium quibusvis) nomen invenit, quaſi Diaboli operâ artem exerceret ſuam ipſiuſq; opus eſſet minimè naturale.Ipſe quippe tornando in unum piperis granum 9. conos & 2. globos imiſit. Ego quidem has præſtigias non intuitus ſum ; attamen à viris veracibus dici audivi ; ſe ipſos illud piperis granũ vidiſſe, in quo 9.coni & 2.globi oſtendebantur. Quod artificii ſpecimen ille cuidam è Magnatibus curioſo obtulit. Quod quum ob ætatem ingraveſcentem viſuſque imbecillitatem operationi iſtiuſmodi ſubtili vacare diutius prohiberetur,meditabatur aliam viam quæritandi victum.Fictitium quippe illud *filicis ſemen* venditabat ; Magnetem artificiosè tractabat ; viris autem expertis imponere neſciebat, quippe qui actutum fraudem odorabantur. Hinc ſe in diverſoria inſinuavit, ſtudens circumvenire ebrioſos, idque hac via: Advigilabat, ſicubi eſſent luſores, ex quibus illum, qui ludendo nummos ſuos perdiderat, è conclavi accerſitum ſic interpellabat: Ego perſpicio te Fortuna ludere invitâ, veruntamen ſi mihi daturus es partem lucri & ſoluturus pro me ſymbolam ſympoſii , ego effectum dabo , ut non modo tantum nummorum , quantum perdidiſti, recuperes, ſed inſuper quoque bonam partem pecuniæ aliorum aleatorum lucreris. Conſilium hoc luſori adeò placuit , ut conditiones pactas acceptaret. Mox ex ſuo tornator folliculo parvam promit capſulam , cui ſuum putatitium filicis ſemen ineſſe profitebatur ; atque interim ille probum quendam ſub capſula magnetem ita tor-

quere, vertere ac dirigere callebat ut in ea non nisi vivorum animalculorum alia super alia reptantia oculis spectatorum repræsentarentur. Si enim ille Magnetem ad unam pyxidiculæ oram pertrahebat, continuò omnia rotunda Ferri granula ad latus illud devolvebantur; sin verò illum retrahebat ad alteram capsulæ oram, confestim seminula illa ad hoc latus deferebantur. Id quod virtutis Magneticæ ignaris videbatur ac habebatur esse Ars Magorum incantantium Pythonica. Sicubi autem seminis hujus partem aliquantam lusori cuidam dabat, eidem non sine asseveratione affirmabat, ipsum non modò nihil esse perditurum, sed etiam si quid ludendo perdidisset, alterum tantum, redintegrati lusus Victoriâ lucraturum. Fides apud credulum caput adeo increscebat, ut denuo ludendi aleam subiret, & victor præter nummos perditos suos, etiam permultis potiretur alienis. Atque ita hoc suo sibi artificio tornator & potum & argentum facilè quæritabat. Ipsi quippe non pauci, quibus persuasis hoc inventum arridebat, sat cibi ac potus offerebant ac afferebant. Ut autem nullus fucus perennat aliàs: Ita & hîc evenit. Quum enim in vulgus emanâsset, ipsius semen non esse germanum filicis semen, sed factitium aliquod granulorum ferreorum genus, ex tempore fides exspiravit usqueadeò ut ille nihil amplius lucaretur, sed contristatus ac infirmatus demoreretur. Sanè ingeniosa erat hæc inventio non minus quàm ludicra, quanquam non pauci literatorum cense-

censebant, esse fascinationem. Siquis consimilium Ludicrorum tyrocinium facere delectetur, imponat modò 20. aut 30. acus in quandam pyxidiculam, per quas si peritè duxerit probum sub capsula Magnetem ab una regione in alteram, acus omnes se instar hastarum in acie militari erigent, se prosternent & se denuò erigent ac cætera repetent, quotiescunque callido Magnetis directori placuerit.

Nemini non innotuit, quàm familiaris sit Ars Passaviensis militibus, affectantibus se præservare invulnerabiles adversus omnes sclopetorum globos & gladios punctim cæsimve intentatos. Frequenter ego vidi, plerosque milites, ante præliandum, chartulam cui, ferreâ tudiculâ characteres aliquot erant impressi, deglutivisse ac credidisse, se pèr XXIV. horas à nullo sclopeti aut bombardæ globo læsum iri; de quo qui dubitabant, illis inde nihil salutis afferebatur. Ego his quoque meis oculis conspexi tres stratiotas, qui, posteaquam Characteres istiusmodi in se ingurgitâssent, inter compotandum sua invicem capita stanneis cantharis tantisper petebant, dum illorum duo tertium in terram prosternerent. Quamvis autem illi ambo in percusso ipsius capite cantharos duos ex teretibus formassent planos seu largos, ita ut hic commilito inde haud secus ac exanimis procumberet humi: nulla tamen foramina seu vulnera sanguine manantia in ipsius capite offendebantur, sed post horam ille compotor verberatissimus resurrexit, abiens perin-
de

de ac si plagas accepisset nullas. Quo cognito, quis forsitan demiretur, quod Fides fortis in Satanam tanta possit præstare supernaturalia: atqui multo magis admiretur quis, quod Deus indulgeat ac permittat, ut Cacodæmon in suis mancipiis tanta supernaturalia patrare valeat. Talia autem per Diabolum fieri, nullus dubites, prout & illi conſciunt, qui tales chartulas absorbent. Credunt enim, se totos fore Cacodæmonis mancipia cum corpore & anima, sicubi intra XXIV. horas vel in aquas prolapsi exſtinguerentur, vel fustibus ensibusve interficerentur, vel bombardis majoribus de medio tollerentur. Hinc chartulas istas non prius deglutiunt quàm compertum habent, imminere horam præliandi. Quid? quod hæc Ars nequissima sub diuturno Bello Teutonico à Ferdinando II. Imp. cœpto evaserat tam pervagata ac usitata, ut militum alter alteri unum Orci Spiritum pennæ concavo inclusum precio pacto venderet. O miseros infatuatosque homines! Quàm subdolè Tartareus ille insidiator machinatur æternam animabus vestris circumventis perniciem! An verò vobis persuadetis, quod contubernalis vester Diabolus fidem vobis datam nunquam fallet? Toto cælo erratis. Fallet ille suo vos tempore, & tandem ad paria supplicia tam emtorem quàm venditorem rapiet. Quicumque animam suam diligit, sibi à Diabolo caveat, ut metuere nullus debeat, se ab illo inescatum iri. Cacodæmon enim est Spiritus versutissimus, qui quantò magis humano generi nocet, tantò magis gau-

gaudio triumphat. Enimverò ille eſt Spiritus tam malignus, ut vel ipſum Dei filium Chriſtum tentare auſus ſit. Hinc ſic nos Chriſtus monet: *Eſtote ſobrii, vigilate & orate.* Nam, commonente B. Petro, *ille inſtar leonis rugientis circumit quæſitum quem devoret.* Sufficiant hæc commemorata de Fide, quanta Mirabilia effici ejus virtute poſſint, nimirum, ſi quando illa fortiter concipiatur ſive ad bonum ſive ad malum. Quibus ego jam claudo hanc *Tractatiunculam de Virtutibus Herbarum, Verborum ac Lapillorum.* Equidem mihi ſuppetebat ſat Materiæ ad hæc fuſius perſcribenda, ſed non eſſe neceſſe arbitror. Vereor enim, ne vel hoc parvulum ſcriptum meum pleriſque naſutulis videatur nimis verboſum. Atqui nihil intereſt. Cujus enim ſcriptoris ſcriptum votis omnium reſpondebit? Sat habeo, ſi pro imperitorum informatione Veritatem exaravi. Veritatem puta, quatenus illa mihimet ipſi innotuit, utpote qui ipſemet iſtis enarratis Hiſtoriis omnibus nullus interfuerim, ſed illas partim legerim, partim fando audiverim. Itaque non adeò magni intereſſe credam, etiamſi omnia iſta non ita ad amuſſim ſint geſta, ut ſunt relata; interim tamen nemini incommodabunt, ſed multi multum boni ex illis addiſcere poterunt. Quippe eorum non pauci (qui ſibi perſuadent, ſe eſſe inſigniter doctos) nunquam condidicerunt, quantarum virium ſit Natura. Vitam itaque traducunt in tenebris, dum lautè comedunt ac

bibunt, & verò cætera interim Providentiæ Divinæ committunt & in utramvis aurem dormiunt. Scilicet ita demum fert Ratio Status mundani hodierna.

SOLI DEO GLORIA.

DE
QUINTA ESSENTIA METALLORUM.

Quidnam illa propriè sit, & ad quid conducat.

QUinta Eſſentia Metallorum nihil aliud eſt, quàm puriſſima illorum ſubſtantia, vita, operans anima, ſummaque virtus ac vis, ut videre eſt in homine vel animali quidam alio. Quamdiu anima adhuc in corpore degit, tandiu corpus movetur, agitatur atque ſenſibile exiſtit: Quamprimum autem anima à corpore ſeparatur, illud jacet tranquillum, virium expers & immobile, putreſcit & in pulverem cineremque abit, unde primitus prodiit. Anima autem ad Deum, unde ſuam traxit originem, redit, ubi ſuo olim tempore ad æternam vel vitam vel mortem (prout per ſuam vitam temporalem in corpore vel bene vel malè egit) adjudicabitur; quemadmodum convenienter fidei noſtræ Chriſtianæ ſtatuitur. E contrario noſtra nihil refert, qualiter Ethnici Philoſophi de Anima ſenſerint, quò illa perveniat, ſimulatque è corpore emigravit. Quid autem ipſi alioqui de Anima Mineralium ac Metallorum ſtatuerint, illud cum noſtra ſententiâ conſentit, prout de eo ego hîc breviter agere mecum conſtitui. Famoſus ille Philoſophus Iſaacus Hollandus de Anima, Quinta Eſſentia ſeu Tinctura Metallo-

rum (quippe quæ Corpore crasso circumdata & contecta est) prius videri nequit quàm ejus corpus igne in cinerem redigatur, cinisque in vitrum pellucidum fundatur, ex quo vitro mox Anima Metallica exsplendescit, quemadmodum in futuro seculo animæ hominum ex suis quoque corporibus clarificatis effulgebunt atque virtutes suas in conspectum dabunt. Pergit idem Hollandus dicere hæc: Quicunque ♂ & ♀ in Amausum seu vitrum conflat vicissimque Metallum ex vitro reducit, ille reperiet Metallum, quod rubiginem non amplius sentiet, sed Cupellæ examen sustinebit. Si verò Amausum ex ☽ conficit, vicissimque illud reducit, argenti loco Aurum reperiet. Si denique ☉ in Amausum conflat, vicissimque illud reducit, Tincturam habebit.

NB. Cæterum ab Isaaco Hollando addendum fuisset hoc: Quando Metalla irreducibilia in Metalla conflentur. Quia perfacile Metalla, qualia sunt in seipsis, in vitra conflari possunt; quæ autem vitra, siquando vicissim in Metalla fuerint reducta, nullam planè Meliorationem acquisiverunt, sed talia etiamnum Metalla sunt, qualia fuerunt, antequam in Amausa conflarentur. Si verò Metalla per Artem ita fuerint reducta, ut vicissim illa per nullam fusionem vulgarem reduci queant (quæ autem Destructio non est res adeò vulgaris seu vilis, sed totius Alchymiæ caput) tunc si fuerint reducta, prodeunt

deunt meliorata; alioqui verò nequaquam. Nam cinis Saturni de ſe dat vitrum citrinum, ♃ album, ♀ Viride ſeu praſinum, ♂ flavum ſeu ſubrubrum necnon ſubviride, prout fuit incineratum: hujuſmodi ſi fuerint reducta, viciſſim vulgare ♄, ♃, ♀, ♂ proveniunt. Quid igitur commercii nobis cum illis eſt, ſi nihil melioris inde provenit. Mittamus itaque Metalla illa impura, & ſumamus duntaxat in manus puriſſima, ſi quid boni quærimus. Etenim certè ac verè, quicunque argentum ita deſtruere novit, ut juxta vias fundendi vulgares per borracem aliaque additamenta notoria viciſſim reduci nequeat, ipſe verò viciſſim illud per viam quandam ſecretam reducere queat, ille nullum argentum, ſed aurum reperiet, quicunque verò aurum reddit irreducibile, viciſſimque reducit, ille non aurum, ſed Tincturam reperiet. NB. Quæ autem nullum prorſus habet ingreſſum. Quod poſtquam Philoſophi ſunt experti, conſultum ipſis fuit viſum, melius agi, ſi quis juxta juſtum pondus ſimul aurum atque argentum conficiat irreducibile. Quando igitur viciſſim talia reducuntur, quod illicò aurum ex ☽ proveniens, ad ſe Tincturam Auri attrahat eidemque ingreſſum det. Cujus quidem ego nondum periculum feci, attamen animadverto, illud fieri poſſe. Præter hanc viam memoratum Aurum deſtructum quoque ſuum ingreſſum per vias alias indipiſci poteſt. Lunam ſolam, ut & Solem ſolum ego ſæ-

pius quàm semel destruxi, irreducibilia feci & vicissim quodque separatim reduxi, atqui de argento nunquam argentum, sed semper aurum, & de auro nihil aliud nisi rubidum lapidem & nullum aurum reperi. Quod si Deus aliquandiu mihi vitam etiamnum prorogârit, ego aliquando ejus periculum faciam per ☉ & ☽ simul.

In gemmis est Tinctura seu Anima Metallorum irreducibilis naturâ, sed ejus perparum in illis reconditum est & difficile separatu à suo corpore seu integumento. Quæ si ita sese non haberent, passim incumberetur studio extrahendi ex illis Tincturam & intermitteretur destructio auri, cum omnes Philosophi confiteantur, quod facilius possit ex vilioribus Metallis conflari Aurum nativum, puta ab imperitis; peritis namque id factu perfacile est. Cum itaque utrumque sit imperitis difficile factu, nempe ex lapidibus Tincturam extrahere pariter atque ex Auro & Argento Quintam essentiam elicere, ideo illorum alii suam Tincturam ex Auro & Argento, alii verò ex talibus lapidibus extraxerunt, in qualibus ipsi naturâ generata sunt, prout tale quid benè præstari potest, dummodò quis sciat tales vitrei generis lapides solvere Tincturamque ex illis extrahere. Jaspis, Carneolus, fixa Magnesia, Lapis Lasuli ac Granati continent Tincturæ multum; perparum autem è contrario Hyacinthus, Rubini, Sapphiri & Amethysti: ex quibus etiam illa per ullas Aquas Fortes extrahi nullatenus potest, sed illi lapilli A-

qua

qua minimè corrosiva ac nitrosa sunt solvendi & ex solutione Tinctura per Spiritum Vini extrahatur; id quod sane est labor permolestus. Quod si quis amat extrahere Tincturam à Mineralibus nondum maturis, videlicet *Antimonio*, volatili *Magnesia Saturninâ*, Tutia, Lapide Calaminari, Cobolto, Arsenico, Auripigmento, rubeo ac flavo Sulphure, Zinco &c. in cassum laborabit antequam illa in Vitrum maximè fixum atque in igne constans converterit, ex quo Tinctura, prout supra de Lapidibus memoravimus, elicienda est. Quicunque verò Antimonium, Arsenicum, Auripigmentum, rubeum ac citrinum Sulphur, Ignis Secreti beneficio ad maturationem exaltare callet, ille nullatenus necesse habet convertere illa in vitrum fixum, sed eadem memorati Ignis arte multò facilius maturare novit. Quia absque istiusmodi Igne Arcano Mineralia fugacia, ut jam in meo Dialogo Secundo commemini, perquam tardè carbonum ignis ope figi possunt.

NB. Nisi quis forsitan insimul Sigillum Hermetis (ut ipsis viam aufugiendi intercludat) adhibere mallet; tunc quippe talia volatilia Mineralia eò facilius essent figenda, & prætermisso Igne Arcano solius Ignis vulgaris auxilio Fixatio fieri posset. Enimverò genuinum seu verum *Sigillum Hermetis* sive *Lutum Sapientiæ*, prout à priscis Philosophis non sine veritate ac fundamento nuncupatum fuit, nequaquam habendum est pro tali Luto ex limo, tenaci argilla aliisve materiis, quibus Vitra sua Chymici vulgò muniunt sed memoratum Lutum

ſeu Sigillum ex longè alio fundamento oritur, magnam cum Tincturæ Materia ſimilitudinem ſortitur, eandem amore proſequitur, & præ amicitia tam avidè amplexatur quam mater ad ubera ſua infantem, qui inde juſto maturius erat abſtractus, intra amabilem brachiorum ſuorum complexum recipit. Quia omnia fugacia Mineralia ſunt veluti tenelli infantes reſpectu Metallorum reputanda, quippe quæ niſi debito maturius à matris uberibus nempe terra fuiſſent abrepta, ſed ad tempus uſque juſtum ſeu ſufficiens in ea permanſiſſent, in fixa quoque Metalla abiiſſent. Itaque ſi quando talia Mineralia volatilia, quæ à maternis uberibus nimis maturè avulſa ſunt, denuò illis admoveantur, videas ea illis tam arctè adhæreſcere, ut non niſi invita inde revellantur. Quinetiam ipſa mater præ innato amore ſuo iſtiuſmodi infantem amicè pectori ſuo apprimens, ſic profari videtur: Perdilecte infans, tibi, eheu! juſto maturius ubera mea prærepta ſunt. Quod quum intra complexum meum te receperim, te à me non dimiſſura, ſed enutritura ſum, quoaduſque ſat adoleſcas atque invaleſcas. Chriſtus etiam reſpondit Nicodemo: *Niſi in matris uterum denuò ingrediaris & renaſcaris, in Regnum Dei non introibis.* Paracelſus fere conſimiliter de Metallis loquitur: Niſi in Matris ſuæ uterum denuò ingrediantur & de novo naſcantur, meliora reddi nequeunt. Quidnam autem eſt aliud quæſo Metallorum mater niſi tenax Aqua viſcoſa in quam ceu in ſuam matricem in Terram

Aſtra

Aſtra ſemina ſua diſſeverunt, ut ibidem uſque ad tempus perfectionis ſuæ permaneant. Quod ſi maturius eximantur matrique adimantur, vi propriâ ulterius non aguntur. Cæterum ſi denuò Artiſtæ manu in matris uterum, hoc eſt, competentem matricem reducuntur, illa adhibito vulgari carbonum igne ad perfectionem uſque maturari valent. Quâ procul Matrice, Sigillo Hermetis ſeu Luto Sapientiæ ægrè conſtantia in Igne reddi poſſunt Mineralia iſtiuſmodi fugacia. Ego namque ferè per annum conſimiles Tincturas volatiles continuæ prunarum ignitioni expoſui, & quanquam eas in ignem ferventiorem impoſui, tamen fumificas comperi, prout condiſcas ex meo Dialogo Tertio, necnon ex Quinta Parte Pharmacopœiæ Spagyricæ. Quod ſi memoratas Tincturas fugaces denuo in ſuam Matricem repoſui & Sigillo Hermetis ſeu Luto Sapientiæ munivi, ignitionis fuerunt patientiores & intra octiduum evaſerunt fixiores, quàm ipſæ alioqui per ſe intra octo menſes evadere nequiviſſent. Penes hæc quoque hoc habeto, eaſdem quotieſcunque tali ritu totæ redduntur fixæ atque ſe in ſuam matricem incorporarunt, ægerrimè ab illa ſecretum iri. Nihilominus tamen id poterunt effectum dare artis periti, imperiti non item. Inſuper quoque dantur adhuc alia media figendi iſtiuſmodi volatilia Prima Entia Auri, ſi modò quis benè intelligat ac ſciat, *Quare & unde Volatilitas ſit ipſis data ac nata.* Quippe ſinè pennis nullum Ens volare poteſt.

Quocirca ſi quis ſciat volucri pennas evellere, vel igne exurere, mox procidet illa deſtinanda vel coctioni vel aſſationi. De hujuſmodi Igne Paracelſus in Cælo Pholoſophorum capite de ☿ ſic eloquitur: *Pulvis adole verbenas.* Fac talem pennas adurentem Ignem ex ſale petræ, Tartaro ac ſulphure. NB. Sulphur ſolū ☿ ſuas exurere pennas pollet ſine ullo alterius cujuſquam rei additamento. Ineſt quoque Vitriolo Ignis qui fugacia Mineralia velociſſimè adſtringere ac fixare pollet. Omnium autem optimum eſt illud, quod penes Materiam volatilem continenter in vitro ardet. De hoc Artephius, Pontanus aliique Philoſophi ſcribunt, ſuo Igni cum ſua Materia magnam intercedere familiaritatem, eandemque abſque ſeparatione partis unius ab altera omnimodè in Tartarum immutare. Quod tamen ita accipias; quando Materia illa per ſe eſt ſic emundata ut nullas contineat amplius feces craſſas. Paracelſus condocet ſuum ElectrumMinerale immaturum depurgare per Antimonium. Quod tamen ſecundum literam non intelligas, quippe quoniam Paracelſus vel talem vocum tranſpoſitionem de induſtria fecit, ad perturbandum errore Lectorem, id quod potius conjecerim quam crediderim; vel id incuria Chalcographiæ irrepſit; vel non nemo adverſariorum fabricavit in præjudicium Paracelſi. Parvarum quippe trium vocumMetatheſis hic totū pervertit ſenſum. Repugnat ſanè ſanæ rationi; *Fugax Minerale Arſenicale* purgari *per Antimonium.* Quod ſi vocem *Per* expungas, & voculam *Prout* ſubſtituas, ſonat ſic: *Electrum à ſuis fecibus terreſtribus emundabis,*

prout

prout Antimonium, ſupple, *emundari aſſolet.* Intelligens autem Antimonii purificationem, unde totum dependet Artificium Spagyricum; facilè intelligit Purificationem Electri Mineralis, & mentem Paracelſi capit citra errorem. Emundantur potiſſimum noſtri Arcani Salis Ammoniaci beneficio Antimonium, Electrum Minerale, Arſenicum, Auripigmentum, Coboltum, Sulphur &c. Paracelſus nunquam ullum deſcripſit efficacius Medimentum quàm hoc ex ſuo Electro: quomodo autem illud ad ipſius præſcriptum ſit præparandum, fere nemo capit. Ego juxta illam Deſcriptionem tale Medicamentum paravi, quale tanta præſtat, quanta Paracelſus ſuo adſcribit. Ulterius non feci progreſſus: veruntamen crediderim, ex memorato Electro paucis ſumtibus intra breve temporis ſpacium probam Tincturam ad Metalla parari poſſe. Quotuſquiſque autem omnia attentare & explorare valeat? Ars longa & brevis vita prohibent quominus permulta audeamus periclitari Arcana inveſtigatu digna. Interim ſcias; In Rerum Natura duo dari Salia contraria, quorum unum Mineralia omnia ac Metalla facit volatilia, è contrario verò alterum vel minimum volatile reddit fixum, prout ex inſerta Tabella elucet, ubi tacta Ambo Contraria è diametro ſic collocantur: *Fac Fixum volatile, & volatile Fixum.* Super his duobus Contrariis Deus in peculiare ſubjectum indidit vim faciendi ex immaturis Metallis volatilia pariter atque fixa: Hæcque eſt via omnium proxima figendi Tincturas, prout ex meo Libello Ignium petas. Enimverò tametſi

tametſi quis per Salia volatilitatem conciliantia, videlicet Sal commune, Sal Armoniacum & cumprimis noſtrum Arcanum Sal Armoniacum, *Antimonium nigrum*, *Auripigmentum*, Sulphur rubeum citrinumque convertat in puriſſimum, tenerrimum & maxime niveum Lac Virginis, multum tamen requitur temporis ad figendum talem ☿m volatilem. Quapropter ſi cui eſt animus evellendi tali ☿io volatili ſuas alas, eundemque poſtmodum reddere fixum quodam figente Spiritu Salis, confecto ex Sulphure aut vitriolo, id quod paucarum horarum opus eſt; illicò in tali fixatione ☿ purificatus Medicinalem amittit vim metallicumque Ingreſſum, fatiſcitque in fixam terram mortuam; quæ tamen Terra Mortua per ſuum ipſius Humidum Radicale rurſus incerari, fluida efficaxque reddi poteſt. Interea loci mihi via illa videtur eſſe tutiſſima, facillima ac minimè ſumtuoſa, qua Mineralia fugacia, Arcani Ignis ope, in vitro aperto per continuos adſcenſus deſcenſuſque ex aëre ſuam vim vitalem hauriunt ad perfectam fixitatem & conſiſtentiam uſque. Ego quidem nondum unquam taliter Tincturam aliquam ad maturationem perduxi; veruntamen cum ego apud Artephium, Pontanum alioſque Philoſophos legerim, ipſos ſuas Tincturas per memoratum Ignem maturâſſe, ego non invitus illorum ſcriptis ſubſcribo, idque præcipuè cum mihi Dei gratiâ talis ignis Arcanus unà cum Furnulo maximè Arcano & ad illum accommodatiſſimo ſit patefactus,

ctus, ut in Libello Ignium commeminimus. Sive credant, sive non credant hæc fratres Ignorantiæ; mea nihil refert. Sufficiat, me esse *præter cæteros* quoque possessorem Arcanorum ejusmodi arduorum. *Præter cæteros*, inquam; utpote qui tale *Secretum Secretorum* jam tribus viris primariis præ intima amicitia communicavi qui suo tempore Veritati sufficienter patrocinabuntur. Nihil miri videretur, si fratres Ignorantiæ & hostes Artis negarent, hunc quasi incredibilem, tamen verum *Ignem Arcanum* in Rerum Natura dari. Quippe multò viliora negârunt esse vera, & contra falsò traduxerunt, illa esse mendacia, prout non ita pridem usu venit. Commodum enim meus Libellus Ignium erat editus, cum quidam nasutuli congerrones de familia fratrum Ignorantiæ conspirârunt vociferantes, tales Ignes Arcanos esse inventu impossibiles minimeque naturales; prætexendo, adhuc neminem alterum de consimilibus Ignibus quicquam scripsisse, eosque prorsus discrepare à Philosophia Aristotelis, reclamantis, *Ignem sine Aëre posse ardere*. Eccas tibi quæso ridiculas rationes & absurda fundamenta, quibus ipsi veritatem palpabilem subruere ac pessundare connituntur. Quid mihi cum Aristotele quem nunquam legi? Defendat ille scripta à se, ut ego possum defendere scripta à me. Quod si de scriptis meis ego nihil præter auditum haberem, neque unquam ipsemet operatus essem, sed ex scriptis aliorum cuncta excerpsissem, non immeritò de Veritate addubitare-

taretur: sed cum egomet ipse tales Arcanos Ignes pararim & quovis tempore parare calleam, atque nonnullis meorum amicorum aliis quoque ostensurus sim Artem parandi illos ad divulganda eo pacto Mirabilia Dei; quomodo quæso tales effrontes cavillatores veritatisque hostes stabunt? Numnam Aristotelem solum Deus Opt. Max. cunctis suis cumulavit donis ac bonis? Annon scriptor ille æque atque homines cæteri errare potuit? Equidem, prout ego arbitror, sat crassè in multis. Quippe præter cætera ille autor creditur statuisse, *Ignem sine aëre ali posse nullum*, id quod evidenter falsum est; quandoquidem etiam Ignis unus alterum accendere potest, qui ignis sibi tantum aëris adsciscit, quanti indigus est. Verbi gratia. Pulvis tormentarius, ex sulphure, sale petræ & carbonibus conflatus, est sanè ignis visibilis, & tamen absque admisso aëre potest fieri visibilis. Nimirum si quis tali pulvere quendam ferreum, cupreum, fictilem, vitreum, aut alterius alicujus materiæ siphonem impletum contra omnem aëris ingressum probè præmuniat atque igni apponat, dum incalescat; extempore ignis inclusus se accendet, sibimetipsi aërem pariet, ferreumque globum in particulas sexcentas dirumpet. Cujus Exempli appendix sit exemplum hoc. Confice vasi vinario operculum idoneum, atque ad filum ferreum appende quoddam accensum sulphuris segmentum. Quo in dolium immisso, orificium operculo probè muni, & philura sulphuris tota in vase comburet. *Objicienti*, Fuisse antea in vase sat aëris, unde ignis potuit ali & ardere, *respondeo*,

verum

verum quidem esse, vas fuisse antea aëre oppletum, sed illo sulphur non indiguisse ad ardendum, quippe quod suum ipsius aërem secum invexit, unde in dolio ardens omnem alienum aërem à se violenter exturbat.

Jam & alium in modum demonstrabimus, alios quoque ignes sine aëre posse ardere.

I madefactum intrinsecus ab omnni parte ligneum vas vinarium vel cerevisiarium Spiritu vini probo atque injice per orificium chartulam ardentem; unde Spiritus ille vini cirumcirca inflammatus omnem ventulum seu aërem maximo impetu per orificium expellet, idque cum fragore tam terribili, ut inde imperitus quispiam facilè expavescat, simul atque ignis aërem per angustum vasis orificium exturbat, cumprimis autem per vas prægrande, prout mihimet ipsi aliquando contigit, ubi primitus ejus experimentum capere mecum constitueram.

Erat mihi vas capax quasi trium cadorum, quas vulgò vocant *Omas* seu *Aemen.* Illud edebat tantum boatum, ut ego actutum fugiendo ex cella me proriperem exterritus. Atqui si saltem parum Spiritus vini in vas infundatur & accendatur, ardendo totus absumitur, etiamsi operculum orificio sit firmiter inditum. Neque verò tantum in vase ligneo, sed in aliquo etiam grandi vitro clauso Spiritus vini comburitur, idq; tamen ope operarii dirigente, aliàs non item. Imposterum itaque cautius acturus, sumebam vasa minora, quibus parcius indidi Spiritum vini. Hinc quoque comprobatur de Hekla Islan-

Islandiæ monte qui vociferationem edit tam terribilem ut imperitus omnis credat, *ibidem haberi Erebum, seu habitaculum Cacodæmonum, ubi turba animarum condemnatarum excruciatur*; hanc opinionem à veritate esse alienam. Talis namq; clamor nil aliud est quam aër, qui à sulphure succenso in memorato monte per cavernas magnasque parvasque, in quibus sulphur exustum est, violenter expellitur. Et quum illæ cavernæ procul dubio non sint undique æquales seu læves, necesse est ex illis emitti clamorem neutiquam gratum, sed planè horrificum. Ex hoc fundamento possunt Miraculosa quædam, imò incredibilia patrari; de quibus ut quicquam addamus, tempus & necessitas non flagitant. Cæteroquin est sat notorium, quod omnes linguæ hominum, omnes vociferationes animalium & avium, necnon Musicalium tibiarum hauriant suum sibi sonorem à presso aëre, qui per strictas fistulas seu arterias expellitur. Quippe quemadmodum Arteria est vel angusta vel laxa, vel longa vel levis vel brevis, vel aspera; Ita suum quoque dat sonitum. Quod quum homines, animalia & aves suis præditæ sint linguis, juxta quarum motum arterias vel coarctant vel dilatant, eapropter & varias voces tonosque emittere valent, quod tibiæ lævigatæ item præstare non possunt. Possent quoque vel ipsi homines, animalia atque aves idem neutiquam præstare, nisi suis gauderent linguis quibus varietatem vocum formare valent. Ex hoc quoque fundamento ego parare calleo quasdam dulcisonas Melodias, quæ indesinenter dies atque noctes in aliquo con-

conclavi ſine ullo manuum humanarum adminiculo per quendam ſola arte formatum ventulum non modò jucunniè luderent, ſed etiam ſuaveolentem ac cor corroborantem odorem inſimul ſpirarent. Conſimiliter mihi etiam nequaquam difficile eſſet parare peculiaria quædã Inſtrumenta repræſentantia faciem Draconum, aliorumve terribilium animantium emittentium horribiliſſimas vociferationes, venenatiſſimum fœtorem ſubitò enecantem, ac evomentium venenoſum ignem halitumque idque propriâ vi ac ſuopte motu, atque excurrentium in medios hoſtes ad eos propulſandos fugandoſque. Sed enim ea omnia & id genus alia Arcana à me nunquam communicabuntur, niſi forſitan exoratus gratificarer non nemini adverſus immanem illum Chriſtianæ Reip. hoſtem univerſalem, puta Tyrannum illum ſanguinolentum Gog & Magog, Turcas & Tartaros conjuratos qui jamdudum exercitum ſuum in expeditionem educunt. Equidem hæc demonſtratio per Sulphur, necnon Spiritum vini facta ſufficeret, *quod nimirum etiam ignis in vaſe quodam clauſo ardere poſſit*, ad obturanda ora naſutulorum fratrum ignorantiæ, veruntamen non Sulphur, neque vulgare vinum aduſtum eſt talis Ignis arcanus, qualis continenter tanquam lampas ſine fumo ac fœtore, in quodam vitro, de quo agitur in meo Libello Ignium, ardere poteſt. Ego quidem non eo inficias, quod tam pars puriſſima Sulphuris quam Spiritus vini accedat; vulgus tamen ignorantium non facilè capiet cui inhiat. Quid quæris? Ita fert ſors expertorum, ut (quamprimum illi quadantenus produnt, ſe quicquam rari & longè à vulgi cognitione remoti inveniſſe) extemplo ab æmulis proclamentur mendaces impoſtores, ſicubi inventor nolit ſua Arcana mox ad ipſorum poſtulata aperire. Grande ferculum ex alvo ruſtici (dicto ſit venia) potius conduceret iſtiuſmodi porcis ſordidatis, quàm cognitio Arcanorum, quibus plane indigni ſunt. Sunt quoque indigni (ut ore Teutonum rotundo dicam, quid ſentiam) cognitione illius ſolius Secreti, quod in oleto ruſtici latet; quippe qui nihil

aliud ſunt niſi hoſtes Artis & cultores ſui abdominis atque amatores ſacræ pecuniæ opumque in quibus omnem ætatis ſuæ ſuperbiam ſtultitiamque tranſigunt. Hinc ego quoque mecum conſtitui, quod impoſterum de arduis Arcanis nolim amplius ſcribere, ſed malim tantummodo, datâ occaſione commoda & idonea, etiamnum quaſdam Materias utiles, quas vel quivis agricola intelligat, emittere & publicare, unde nullos inveniam qui contradicant. Quod autem quidam lividi contubernales mea ſcripta per Ariſtotelis ſcripta refutare connituntur; illi reſciſcant quæſo, illum Autorem plura à ſuperioribus ſeculis approbata ſcripſiſſe, quæ tanquam à vero aliena abjudicat ætas hodierna. Præter cætera enim philoſophatus eſt; *In rerum natura non poſſe dari vacuum.* Atenim hoc Philoſophema multa hodierni ſeculi lumina vero adverſari demonſtrant; quemadmodum non ita pridem in Comitiis Ratisbonenſibus à quodam Philoſopho non tantum *Cæſareæ Majeſtati* glorioſiſſimæ jam memoriæ, verumetiam nonnullis Electoribus Principibuſque Imperii demonſtratum eſt unà cum vera *Tranſmutatione Metallorum.* Ubinam jam manet inveterata Ariſtotelis ſine fundamento ſententia; *In ſpecies non cadere transmutationem.* Ecquid tandem me tangant & angant ſcripta Ariſtotelis? Si quid ille boni exaravit, laudem meretur; ſin verò in nonnullis erravit, nemo miretur. Homo enim fuit; qui ſi melius quid ſciviſſet, procul dubio aliter ſcripſiſſet. Quapropter nolit quiſquam alterius cujuſpiã opus quod nullus intelligit, inconſideratè vituperare & mendaciloquum proclamare. Ferè neminem offendas uſpiam tam vilem, qui non in hac vel in illa Materia quicquam poſſideat, quo quivis alter caret: num verò idcirco poſſumus exacte ſcire, utrum ſit verum, necne, cujus ille ſe profitetur poſſeſſorem. Hinc communiter dici ſolet: *Ars non habet oſorem niſi Ignorantem.* Nos itaque diligamus Artem & mittamus omnem Oſorem. Oſores quippe nonniſi Ignorantes ſunt ac manent. Maneant itaque noſtrâ pace tales, quoaduſque ipſiſmet placuerit. Nihil enim

enim ex vitiis suis, quibus pascuntur, lucrabuntur nisi ignominiam, & per auriculas suas longiusculas (quas in contemptum illarum rerum, de quibus nihil prorsus intelligunt, exporrigunt) omnibus omnium ordinum hominibus produnt, se potius esse asinos quam homines. Ut autem Ignorantibus istiusmodi ad suas ipsorum odiosas, invidas ac illusorias objectiones respondeatur, minimè necessarium reor: sed in gratiam omnium Theophilorum flagrantium studio cognoscendi Mirabilia Dei non possum non in medium proferre nonnihil luminis, quo informentur. Jamdudum in populi notitiam fertur, quod Sulphur intra vasa munda ac vini virorem referentia clausum possit ardere, contra in vetustis ac inquinatis doliis nequaquam, quæritur jam de ratione differentiæ, cur nimirum illud non æque in his atque in istis ardere possit. Resp. Quod illud in vase puro ac vini virorem referente libenter ardet, causam habet, quod Spiritui vini intercedat notabilis affinitas cum Spiritu Sulphuris, & proinde ipsum Sulphur inter flagrandum juvat ac promovet. E contrario vas illud annosum, ex quo vinum evaporavit & pro eo in illud se humor mucilentus insinuavit, Sulphuri interflagrandũ magis obest quam prodest. Licet enim Sulphur quoque in doliis novis & vino nondum imbutis juxta atque in veterascentibus, sed mucoris expertibus flagrare soleat, veruntamen illud nusquam promtius ardet quam in doliis vini virore illusis; idque ideò quod vini Spiritus arcta familiaritate complectatur Spiritum Sulphuris, prout satis constat, quod vina absque fumo sulphureo à corruptione neutiquam præserventur, & cumprimis vina Rhenana aliaque Germanica, quæ non sunt prædita tot Spiritibus, quot gaudent Gallica, Hispanica & reliqua generosiora vina, quæ ad sui conservationem non tam indigent Spiritu Sulphuris quàm vina Germanica. Cum itaque exploratum habeamus, quod Spiritus vini & Spiritus Sulphuris summa familiaritate & arcana quadam sympathia sint conjuncti, à nobis rem accuratiore mentis trutina expendentibus, opera

non inanis navabitur, si utrumque Spiritum ita aduniamus & combinemus, ut inde ignem Arcanum, qui in vitro clauso ardere valeat, formemus. Qualiter autem uterque Spiritus sit conjungendus & uniendus, non est gemma porcis objicienda; sufficiat, conscire, ignem talem parari posse. Quibus communicatis addo etiamnum unum documentum quod possibilitatem Artis demonstret ac comprobet.

Evacua vas vinarium & in eo lamellam seu segmentum sulphuris (quod Oenopolis Teutonicis dicitur *ein Schlag*) combure, quæ plaga sulphurea facilmè in eo exuretur, eò quod sulphur in vase multum Spiritus vini deprehendat, qui ipsi ardenti succurrit; accende in eo adhuc alteram plagam, quæ quidem quoque flagrabit sed non item ut prima; tertia & quarta succensa multo minus ardebit; quinta denique & sexta forsitan nihil prorsus. Ecce tibi jam detectum totum fundamentum, cur ignis in vasis clausis flagrare valeat. Si cui jam est acumen ingenii divini tam capax, ut mentem enarratæ Demonstrationis assequatur & deinceps spe suâ potiatur, habebit quod ipsum ad Deos majorum gentium promovebit. Sin minus, nolit quæso deblaterare, me perperam scripsisse, sed malit suam indignitatem culpare ac deplorare. Quicunque verò voti sui compos evaserit, gratias Deo immortali immortales agat & Artem ab hostibus veritatis custodiat, tunc ei Pater Luminum ulterius revelabit, quantum usum hic Arcanus Ignis in Medicina pariter atque in Chymia præstet.

Nemini non innotuit, quod, siquando Sulphur accenditur & comburitur, tantummodo exuratur combustibilis illius pinguedo; igneus autem Mercurius comburi nequeat, sed instar fumi avolet, qui exceptus est Ignis incombustibilis, pollens vi figendi cuncta fugacia Vegetabilia, Animalia & Mineralia Subjecta.

NB. Si quis inter comburendum Spiritum vini intercipere sciat incombustibilem ipsius Mercurium, nanciscetur Mirabilem Spiritum Mercurialem, de quo Basi-

Basilius rescripsit, quod suam Auro Tincturam extrahere polleat. Deinceps si quis Spiritum vini unà cum sulphure comburat, consequetur vicissim peculiarem quandam Aquam Mercurialem. Gaudent quippe unà conflagrare. Id quod ita periclitaberis. Sparge Sulphur pulverisatum super humectatum in Vini Spiritu siccum pannum lineum, quem pannum si ad filum cupreum vel ferreum tantisper suspenderis in vase, dum comburas totum, illicò conciliabit vasi suavem odorem, quod alioqui Sulphur non præstabit. Tu si poteris talem Spiritum in vitrum excipere, ego tibi confitebor, te multum cepisse. Huic tamen Entis generi nihil est commercii cum illo igne, qui pollet perpetua vi ardendi in lampade. Hæc autem hic in eum saltem finem præscribuntur, ut Ignorantiæ candidiori aperiatur via ad altiora Arcana. Ora Deum, investiga sedulò, fuge odia, invidiam superbiamque, summo largitori summas pro suis donis age gratias atque suum cuiquam invidere noli. Omnia Tempus habent. Rosæ fragrantissimæ enascuntur inter spinas, à quibus inter carpendum facilè pungaris. Si quis suo vult apes melle fraudare, illi verendum est, ne earum petatur aculeis. Hoc, hoc tibi sit cordi. Nunquam tibi persuaseris, quod ociando, deliciando, convivando, epulando, esitando, potando, cum aleatoribus lusitando, cum congerronibus confabulando quicquam rari ac cari venaberis; sed carbonibus atris album Margaritum nobile expiscandum est. Ignis, ignis est verum everriculum, quo Arcana Magna ex Chao tenebroso expisceris. Quocirca qui ignem ignisque diversa genera ac idiomata unà cum eorundem usibus singulis exactè intelligit, Jure sibi adipiscetur nomen *Philosophi per ignem*. Ignis enim est verus atque unicus Lapis Lydius primarius genuinæ Artis Hermeticæ, alius autem præter eum nullus prorsus. Ignis quippe pollet solus vi examinandi garrulum quemque Sophistam per Cupellam, utrum solidè peritus sit Chymiæ, necne. Ignis caliginem atram potest transmutare in lucem candidam; & (ut simul ac semel

omnia complectar) ignis solus germanos gignit Philosophos. Plura hac vice non addo, sed (Deo volente) in Parte Pharmacopœiæ meæ Spagyricæ sexta plura pluribus comprobatum abeo.

Admonitio.

LEctor benevole, cum ego non in hoc tantum Libello, verum etiam in Quinta Parte meæ Pharmacopœiæ Spagyricæ, Libello Dialogorum ac Libello Ignium de variis perraris minimeque notoriis Arcanis meminerim, procul dubio ea Ignaris videbuntur Impossibilia. Sed hoc me non urit. Eo namque ego solo contentus sum, quod non nisi Veritatem scripsi. E diverso nullus dubito, multos quoque fore, qui ingeniorum suorum acumine ac indagine capient, tacta Arcana ad Veritatis normam ac Naturæ libellam respondere, usqueadeò ut diversimodè magno conatu studioque in id incubituri sint, quomodo à me aliquam obscuriorum locurum explicationem adipiscantur. Cæterum omnibus atque singulis ego jam significatum volo, me nolle amplius ullis inquietationibus circumfundi, utpote qui jam antehac plus satis circumventus technis fuerim. Quapropter omnes omnis vocationis ac vacationis homines amicè rogatum volo, ut mihi parcant nullasque scriptas neu orales Informationes à me requirant. Quippe stat sententia non respondendi ad tales Epistolas, neu acceptandi illas; multo minus auscultandi incursantes nonnullos audaces effrontesque flagitatores seu mendicos. Nolim quoque mihi posthac imponi per ingentes promissiones, per falsam blandiloquentiam, per Anagrammata eleganter conficta, aut per Carmina suavisona. Cautiorem quippe suis me imposturis impostores réddiderunt, juxta illud tralatitium: *Piscator ictus sapit.* Usqueadeò ut non leviculæ sed momentosæ mihi suppetant causæ, cur ego jam tandem aliquando Mundo falso ac

ac maligno nuncium remittam ac prorsus valedicam. Quid quæris? Facile contingere posset, ut ego omnia illa Carmina, Anagrammata & fucata Encomia Poëtica in unum volumen collecta typis excudi atque emitti curarem, ut plerorumque hominum falsimonium oculis Mundi subiiceretur & ubique gentium innotescerit. Quod si amicis candidis gratificari voluero, penes me solum est, quippe qui illis officia mea nullatenus negabo; sed ab adulatoribus ac sycophantis sese insinuantibus mihi cavebo, quoad ejus fieri potest. Præterea in animum induxi, ex Turba magna ac tumultu malignorum hominum me recipere in locum ab illorum frequentia silentem, ut ibidem residuum vitæ meæ in Dei gloriam tranquillè transigam. Quare Anstelædami imposterum me nemo quæsitum eat ubi me non reperiet; de quo unumquemq; benevolorum benevole certiorem facere volui. Rationum enim (*Car ego deterrear, posthac conversari cum ignotis*) ingens est congeries. Neque etiam ego talia Arcana eum in finem publicare volui, ut abs quovis Lectorum intelligantur, sed ut Mundus cæcus conspiciat, magna Arcana in Natura latere, & singulari Dei beneficio sub hanc extremam Mundi senectam generi humano patefieri. Quod si boni etiam amici immurmurent, meam sibi adimi necessitudinem, eos perhumaniter rogatum velim, ut præsentem meum statum considerare dignentur. Enimverò mihi exactæ ætatis homini impossibile est, ad tot atque tam varia scripta fusè sufficienterque respondere.

Ulterius ego demum etiam hoc commonitum volo.

SI forsitan unus & item alter illa Verba Salomonis, de quibus ego hîc tracto, in S S. Bibliorum Pandectis inter Proverbia Salomonis cætera non invenerit, ille quæso indignabundus dicere nolit, Salomonem non esse illorum Verborum autorem. Permultos enim Salomon conscripsit Libros, qui in Sacro Canone non exstant. Ecquid absur-

abſurdi committeretur, ſi largiremur, illa non eſſe à Salomone Rege, ſed à cognomine quodam Iudæorum Rabbino Salomone exarata? Quid enim quæſo præjudicii pareret talis aſſertio? Verba illa jamdudum Canoniſtis innoteſcunt atque per ſe bona ſunt & vera; ignorare autem, quis genuinus eorum ſit autor, nemini poteſt eſſe ignominiæ aut injuriæ. Atque ita etiam hæc Controverſia ſit ſublata.

FINIS.

